Diss. polemico-theologica de Pontificiorum ritu quo infantes ante, quam vere nati sunt, baptizantur, Jesuitico libello inscripto Gründliche Widerlegung und ... gegründete Ableinung desjenigen Lutherischen Lehr-Satzes etc. ac Vratislaviae, A.C. MDCCXXXII divulgato opposita / [Georg Carl Petri].

Contributors

Petri, Georg Carl.
Zeibich, C. H.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Wittenberg : E.G. Eichsfeld, 1734.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cs8aquta

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

T. 981.

DISSERTATIO POLEMICO-THEOLOGICA
DE

PONTIFICIORVM RITV QVO INFANTES ANTE, QVAM VERE NATI SVNT, BAPTIZANTVR

IESVITICO LIBELLO
INSCRIPTO
Gründliche Widerlegung und ==== gegründete Ab=
leinung desjenigen Lutherischen Lehr=Satzes ꝛc.
AC VRATISLAVIAE, A. C. M. DCC. XXXII. DIVVLGATO
OPPOSITA
QVÂM
PRAESIDE

DN. CHRISTOPH. HENRICO ZEIBICHIO

S.S. THEOL. DOCTORE AC PROFESSORE PVBL.
ORDIN. REGIO-ELECTORALIS CONSISTORII ASSESSORE,
AC TEMPLI OMNIVM SANCTORVM PRAEPOSITO
DOMINO ATQVE PATRONO SVO, PER OMNE AETATIS SPATIVM, SANCTE OBSERVANDO
IN ALMAE VITEMBERGENSIS

AVDITORIO MAIORI

D. XVI. SEPTEMBR. A. C. M. DCC. XXXIV.
CANDIDATVRAE THEOLOGICAE GRADVM
ADSECVTVS
TVEBITVR AVCTOR

GEORGIVS CAROLVS PETRI

MAGISTER PHILOSOPHIAE LEGENS.

VITEMBERGAE, EX OFFIC. EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDI. (12)

58700(3)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Auspice IESV!

§. I.

INter complurima dogmata alia, de quibus a ROMANO-CATHOLICIS EVANGELICI dissentiunt, haec quoque reperiuntur: *Fieri nequit, ut Christianorum infantes ante, quam sacro initiantur fonte, mortem oppetentes saluentur; quare infantuli, quibus certum instare sentitur mortis periculum, simul ac membro aliquo proveniunt materno ex utero, baptismali adspergendi sunt aqua; quotquot autem, siue toto corpusculo, siue eius duntaxat parte, prodierint, sine adspersione illa decedunt, aeternam piorum sedem locumque non consequuntur; & iccirco eorum reliquiæ publice, cum sonitu ac cantu, efferendæ sepulcroque inferendæ non sunt, quin etiam aut a communi christianorum cœmeterio prorsus sunt excludendæ, aut in eius angulo quodam humandæ.*

Pontificia dogmata, quæ iam in quæstione sunt.

Hæc Pontificiæ Ecclesiæ placita cum SCRIPTVRA S. non convenire, nostræ Doctores Ecclesiæ sæpissime demonstrarunt. Nihilominus illa in Silesia inferiori, aliquot abhinc annis, adversam sibi veritatem rursus ad certamen elicuerunt. Namque, memorante libello anno 1732. Vratislauiæ emisso, jussum est, Iesuitarum Vratislauiensium dubio procul instinctu, Wolauiense emendati cœtus Consistorium, ut rationes ostenderet, cur fidei socii infantulos, nondum quidem in vitam perfecte pleneque editos, aliquo tamen membro, ut, capitulo, brachiolo, manicula, exstantes ita, ut aqua conspergi queant, ultimoque in periculo versantes, non baptizent? at eos tamen, nec non & par-

Processerunt ea rursus ad certamen in Silesia.

vulos alios, priusquam baptizati sunt, perfunctos fato, publice sepeliant? Inscribitur libellus ille hoc titulo: *Gründliche Widerlegung und so wohl in göttlicher H. Schrifft als uralten Vätern und Lehrern gegründete Ableinung desjenigen Lutherischen Lehr-Satzes, krafft welchem unsere Glaubens-Gegner schnurgerad dem Ausspruch Christi zuwider, und zum grösten Nachtheil, der in der Kirchen GOttes iederzeit geübeten, und denen ob schon noch nicht vollkommen gebohrnen Kindern ertheilten Noth-Tauffe, zu behaupten suchen, daß derley Kinder ohne die empfangene Tauff des Himmels theilhafftig werden, vorgestellet und mit Bewilligung einer hohen geistlichen Obrigkeit ans Taglicht gegeben. Breßlau, gedruckt in der Academischen Buchdruckerey des Collegii Soc. IESU, 1732.*

Opponitur iis Scriptum.

§. III. Puram colentes religionem hortatur PETRVS Apostolus, (a) *ut, si quis rationem spei, quæ in iis, ab iis reposcat, reddere illam & exponere semper, cum mansvetudine metuque, sint parati.* Equidem ii incidere possunt casus, ut tum fidem premere præstet silentio, quam profiteri. Est præceptum de confessione fidei in numero affirmativorum, ut vocant, præceptorum, qualia non semper obligant. Sed tamen quando puræ fidei doctrinæ discendæ & amplectendæ, aut scientiæ illius assensusque incrementorum capiendorum cupidi exposcunt, aut quando orthodoxos heterodoxus ob doctrinam illam impugnat & redarguere enititur ac refellere, aut cumprimis quando, qui potestatem habent interrogandi de doctrina, scilicet Magistratus, & quibus negotium illud hic imposuit, iubent: tum semper oportet eam proloqui, diligenter tueri, eiusque adferre rationes; aliter contra monitum præceptumque Apostoli committimus. *Gegen die letzten*, inquit vir maxime reverendus, ERMISCHIVS, (b) *muß es geschehen aus Unterthänigkeit und Gehorsam; gegen die andern aus heiligen Eifer für die Ehre Gottes; und gegen die ersten aus hertzlicher Liebe, einander zu ermahnen und zu bessern; gegen alle aber aus heiliger Begierde, die Ehre Christi aus-*

(a) 1. Epist. 3, 15.

(b) P. I. Oratoris Ecclef. fol. 171.

auszubreiten, welcher gesaget, wer mich bekennet für den Menschen, ----- Matth. X, 32. Hæc quum penitus perspecta planeque cognita haberent Venerabiles Senatus sacri Wolaviensis Assessores, quos DEVS OPTIMVS MAXIMVS, in solamen Ecclesiæ afflictæ, diu servet integros & incolumes, deque invalescentibus erroribus consoletur! accepto mandato, scriptum plenum humilitate, mansvetudine, prudentia, commendansque se brevitate, in quo graves proferuntur rationes, cur in Ecclesia nostra infantes, toti qui in lucem nondum venere, sacro non initientur fonte, a morte tamen ante initiationem illam oppressi, in æternum beatorum habeantur numero, dandi ea re sine probro sepulturæ, conficiebant, REGIMINIque REGIO WOLAVIENSI demisse exhibebant.

§. IV. Non dubium est, quin sine longa mora Iesuitis, quorum consiliis totum negotium nemo non attribuet, in manus datum sit scriptum illud, ut, si possent, infirmarent & convellerent. Hi itaque libellum composuere, ex undecim formæ octavæ foliis constantem, cui hunc adhibuere titulum: *Gründliche Widerlegung ietzt angeführter Beweißthümern des Lutherischen Consistorii in dem Wohlauischen Fürstenthumb, die ungetauffte Kinder anbetreffend:* in quo, ut veritatem armis, quibus instructa laudato in scripto Wolaviensi progressa est, exuerent, laborarunt. Subsecutum est an. 1731. d. 14. Sept. mandatum publicum, datum a PRAEFECTVRA REGIA PRIMARIA, quo iubentur *primo* Lutheranæ per Silesiam obstetrices infantum, quos enixæ nondum sunt matres, membrum prominens, imminente morte, baptismali aqua conspergere, *deinde* Magistratus curare, ut sint, qui, an obstetrices mandato satisfaciant, semper obseruent.

Iesuitæ componunt libellum.

Quo tradito mandatum publicum obtinent.

§. V. Cui mandato, postquam, qui memoratum edidit libellum, id protulit, subiungitur: *Hieraus werden die Herren Lutheraner schliessen und wissen, da selbte bevor so Gewissen-loß gelehret, und so unverantwortlich gehandelt, künfftig fort die alte Mütterle und Hebammen vor ihre Lehrmeisterinnen an und aufzunehmen, welche sie lehren werden, daß man*

Refellunturverba, quæ dicto in libello mandatum illud excipiunt.

man verpflichtet seye denen, auch nicht vollkommen gebohrnen Kindern, die Noth-Tauffe zu ertheilen. Dem Allerhöchsten sey ewiges Lob gesagt, daß dieses verdammliche Ubel (obwohlen wider dem Willen der Widersager) sich endiget. Verum consuetudinem Pontificiam hanc diuinae ordinationi esse contrariam, infra dilucide expediam. Quamobrem non Lutherani, sed Iesuitæ hic ii sunt, qui fide conscientiæ non commoventur, docentes iuxta, atque facientes, quod excusari nullo modo potest: etenim non solum reiiciendum istud institutum comprobant, quin maxime necessarium esse, suos docent, atque acriter defendunt, sed &, triste malum! Magistratibus, toties renouatæ pacificationis Passauiensis immemores, vehementer auctores sunt, ut illud tenere Augustanæ Confessionis socios quoque, suæ subiectos potestati, omnino cogant, quamvis constanti etiam & perpetuæ euangelicarum ecclesiarum praxi, uti postea patebit, mos iste peruersus aduersetur. Ad obstetrices quod attinet, quum ad superstitiosum illum ritum adigantur minationibus, Diasyrmus, quo luduntur orthodoxi Silesii, scomma est subacto indignum ingenio. Utinam vero fœminæ illæ omnes prius conscientiæ, quam comminationum, ducerent rationem! (*) Ad gratiarum actionem, quae additur ab adversario, cohorresco: siquidem DEO ideo illa præstatur, quia mala aggravescit consuetudo, consiliaque non excusanda prospere processerunt. Dominari in conscientias, hoc est, homines ad actiones, quarum cum SCRIPTVRA S. sanave ratione convenientiæ hi non sunt convicti, immo quarum a dictis regulis declinationem perspicue cognoscunt, adigere imperio, vi, metu, hoc, inquam, pugnat *primo* cum omni recta ratione, quum conscientiæ, lucida & aperta rerum repræsentatione regendæ ac flectendæ, atque externi dominii ideæ nullo cohæreant modo, *deinde* cum Divinis Litteris, utpote quæ magis DEO obtemperandum obediendumque, quam hominibus, esse (c), & dominationem in animas atque conscientias esse solius DEI propriam, (d) condocent; *tum* cum natura

(*) Votum hoc voveram ac scripseram multo ante, quam comperimus, exsistere quidem tales inter eas, verum vero nunc hic, nunc illic in pias has gravius animadverti; quin immo obstetrices Evangelicas ultra non permitti, cum tamen permittantur Iudææ Iudæis.

(c) Act. 5, 29. (d) 2. Cor. 1, 24.

ra Religionis, *nihil* enim *est tam voluntarium*, uti bene Lactantius docuit, (e) *quam religio, in qua si animus aversus, iam sublata ea, jam nulla est*; *postea* cum praxi SALVATORIS ac Apostolorum, quippe nec hi, nec ILLE, ad Christianam Religionem plantandam & propagandam vi atque violentia ulla usi sunt, aut alis, ut sacrosanctam rem illam vi gererent, unquam svaserunt. Dicit quidem, qui, narrante Luca, magnam ad cœnam invitat, cælestis Paterfamilias, servo, ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, *cege intrare* (f), quæ verba præcipuum sunt Pontificiæ antithesis fundamentum: verum quoniam ibi non agitur de Magistratu Politico, sed de Divini Verbi ministris, non de hæreticis & schismaticis, sed de versantibus extra Ecclesiam, non de externo coactu, ut qui vocationi ad cœnam non convenit, sed, vti B. D. Quenstedius loquitur, (g) *de vehementi & efficaci motione, seria rogatione, & morali persvasione*: pronunciatum illud præsentem ad rem nihil quadrare unusquisque intelligit. Accedit, vim in conscientias factam perficere, ut præter ipsos vim adhibentes, permulti alii quoque culpa se contaminent, quotquot nimirum vis illa frangit, ut agendo, vel loquendo & profitendo, conscientiae suæ labem ac vulnus inferant. Ex quibus omnibus gravissimo se obstringere peccato, qui conscientias cogunt, & Iesuitarum illorum, qui fecere, ut commemoratum edictum propositum sit, consilium a me haud sane immerito vocatum esse *non excusandum*, agereque de prospero eius successu DEO gratias, incutere horrorem, manifestius est, quam ut ulla adhuc in hoc impendenda sint verba.

(e) lib. 5. c. 14.

(f) Luc. 14, 23.

(g) in System. Theol. P. I. p. 28. b.

§. VI. Dictæ refutationis sive auctor ipse, sive qui eam in publicum dedit (nisi qui auctor fuit, idem etiam emisit,) de argumentis laudatorum veritatis testium contemtim loquitur. Nam inter Illorum submissas ad WOLAVIENSE REGIMEN litteras, in libello §. 2. commemorato exhibitas, atque dictam refutationem hæc interponit verba: *Vermöge dieser* Deduction *vermeynen sie vollständig ihren Irrthumb behauptet zu haben; aus der folgenden Widerlegung aber wird sattsamb erhellen, daß man allen ihren angeführten Beweißthümern keinen anderen Lob-Spruch möge beymessen, als: Vox, prætereaque nihil.* Contra de

Causæ, cur ad dictum libellum totum refellendum converterim animum.

de Pontificia refutatione iactantur verba magnifica. Quæ enim in illa opponuntur, nuncupantur *unwidersprechliche Gegensätze* (h), *unümbstoßliche Beweißthümer* (i). Quodsi, veram rei rationem qui perspiciunt ac cognoscunt, ad ostentationem hanc omnes tacerent, pars adversa vicisse sibi videretur, & Veritati aegritudinem adferre audacter pergeret, quin etiam eorum, qui veritatem etiamnum in Silesia amplectuntur, nonnulli titubare forte inciperent, praesertim quum ibidem præter antea proposita, multa dogmata Pontificia alia (k) in palæstram hactenus rursus producta sint, nemo autem secus sentientium, quantum scio, usque huc contravenerit. Itaque solennis sacramenti, quo Imperatori meo, CHRISTO, in Baptismo factus sum obstrictus, hic quoque, quoniam inter alia, ut alios Theologiam doceam, præsens mea a me postulat statio, memor, proposui mihi, libelli §. 2. citati erroribus me opponere, eos adoriri, iuvanteque CHRISTO rursum ita diloricare atque exarmare, ut perspicuum fiat & oculis quasi iudicari possit, Terentiani Thrasonis haud absimilem hic fuisse Adversarium, conferrique libellum eius posse cum navibus inscriptis Εὔπλοια, Σώζεσθα, Πρόνοια, Θεραπεία, i. e., splendidis magnificisque titulis, quæ nihilominus iactantur fluctibus, comminuuntur, subvertuntur.

(h) p. 35, 36.
(i) p. 37.
(k) Videatur c. c. *Vertheidigung der Catholischen Bibels-Wahrheit*, ed. an. 1729. Breslaviæ a Breslaviensi Fraternitate Iesuitica.

Diatribes huius Obiectum & partes.

§. VII. In præsenti quidem duntaxat Pontificio de ritu infantum ante, quam in vitam venere toti, baptizandorum, Breslaviensi cum adversario transigam: de salute autem & honorifica humatione infantum, vita ante Baptizationem excidentium, seiugata, & ea patrio conscripta sermone, subsequetur commentatio. Pertractationis autem utroque in scripto una & eadem erit ratio. *Principio* perspicuum faciam, Wolaviensis Theologos controversas theses recte probasse, *deinde*, adversarium probationibus illis nihil, nisi aut falsa aut ἀπροσδιόνυσα, opposuisse, *postremo*, eius pro antithesi prolata argumenta parvi esse ponderis. Ex tribus itaque hæc diatriba constabit sectionibus, quarum *prima* inscribetur Thesis controversæ βεβαίωσις, *secunda* ἐκδίκησις, *tertia* obiectionum διάλυσις. Prius vero, quam rem aggredior, humillimis TE convenio precibus, DOMINE IESV, qui Dux es spiritualis fidelium TVORVM militiæ. Adiuva, qui certissimum es adiumenti indigentibus TVIS omnibus refugium, adiuva præsertim

TVO

Tvo ſapientiæ & intelligentiæ, conſilii & virtutis, ſcientiæ & timoris Iehovae Spiritu, inſtitutum meum, ut feliciter Verboque Tvo convenienter illud abſolvam! Tva enim cauſa tractatur, dum Tvae veritas Eccleſiæ ab erroribus defenditur; neque vero ad negotium tale ullius naturales vires ſufficiunt. Indignitatem meam, quum, qui vera Tibi adhæremus fide, multifarie peccemus, compenſa merito Tvo cruento, Ter Optime Iesv! cvi ſint gratiæ, laus, honor, gloria, in ſecula ſeculorum, Amen:

Sectio I.
THESIS CONTROVERSAE
ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

§. VIII.

THESIS, *eiusque* RATIO PRIMA.

Theſium Eccleſiæ noſtræ, quæ Breslavienſi libello in diſceptationem vocantur, prima hæc eſt: *Auguſtanæ Addictis Confeſſioni parvulos perfecte nondum genitos, quamvis aqua contingi queant, baptizare, ſeu ſponte ſeu coacte, nec licet, nec, præcipue ſi ſub Germanico ſint Imperio, atque ſigillatim in Sileſia degant, Pontificius Magiſtratus baptizationis iſtius ullo pacto facere ſine culpa poteſt neceſſitudinem.* Theorema hoc plenius quidem, quod ad Prædicatum attinet, quam in prædicto libello, hic proponitur: ſed tamen nihil in ſe continet, quod rationes, a Wolavienſibus Theologis ibi allatæ, non liquido, ut e dicendis patebit, confirmant. Sunt illæ rationes duæ numero, quarum priorem laudati Theologi his exprimunt verbis: *1. Iſts an dem, daß in unſern Kirchen unterſaget worden, denen noch nicht vollkommen gebohrnen Kindern (ob ſie gleich mit Tauff-Waſſer berühret werden könten,) die Noth-Tauffe zu ertheilen.* Hujus firmitas & gravitas rationis ut eo lucidius appareant, cum quæſtionis tum Prædicato, quod quincuplex eſt, tum ſubiecto illam accurate cogitateque conferam. Probe clariſſimus vir, B. Groſſerus, dixit: (l) *Syllogiſmus eſt quaſi lapis Lydius, in quo non tam inveſtigatur veritas, quam oblata examinatur & oſtenditur.*

(l) in Pharo intellectus p. 129.

§. IX. Ex dictæ rationis cum primo quæſtionis Prædicato colla- *Propoſitio maior, primam*

cum primo quæstionis Prædicato comparans rationem.

collatione hæc efflorescit Propositio: *Quamcunque in Sacris consvetudinem Pontificiam* primo *ii illico ipsi, qui sanam credendi agendique doctrinam inter Christianos ex* SCRIPTVRA S. *cælesti restituerunt instinctu, reiecere*, secundo, *qui successere, restitutæ doctrinæ illius sinceri integrique Professores, Doctores, Præcones omnes usque adhuc itidem reprobarunt ac reprobant*, tertio *orthodoxus Magistratus lege cavit, nec usquam suis permittit*, quarto *cœtus emendati omnes ac singuli, usque a dictæ tempore restitutionis, intermiserunt, & etiam nunc intermittunt, ad eam hic aut ille particularis cœtus Lutheranus, qua talis, sponte sua redire fas non habet, nisi ejus Theologi forsitan cognoscant, quod alii duo per secula non cognovere, idque argumentis, quæ contradici nequeunt, evincant, nempe consvetudinem illam haud sapienter esse antiquatam, esse eam necessariam, aut minimum vere utilem.*

Probatur hæc Propositio maior.

§. X. Hæc inter se necessario cohærent. Nam *primum* cœtus, morem istiusmodi sponte sua revocans, desineret esse γνησίως Lutheranus, siquidem ejus generis ritus e rituum Papismi discriminalium est numero, & speciatim ad controversum ritum quod spectat, nititur ille hypothesi Papismo propria, ab Ecclesia CHRISTI semper repudiata. *Deinde* cœtus ille scandalo foret perpluribus: fide infirmos vacillantes, Pontificios autem errorum suorum tenaciores redderet, Separatistas, quorum hodie maxima existit copia, in nequitia confirmaret, pluresque, se ut separent, pessimo suo exemplo incitaret, eorumque, CHRISTI ad Ecclesiam perduci qui potuissent, animum ab illa abduceret; quæ propter væ istud terribile, quod IESVS denunciat iis, qui periculosam aliis produnt exempli imitationem, sibi arcesseret. *Tum etiam* speciem præberet Indifferentismi, Syncretismi ac collusionis, putareturque propiorem agitare ad sacra Romana accessionem: id quod Divino adversatur mandato, Ab omni specie mala cavete. (m) *Accedit*, cohortationem susque deque haberi Apostoli PAVLI, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, (n) item, *obtemperate & obedite doctoribus vestris* (o). *Super hæc* locus odiosis noxiisque turbis aperiretur. *Postremo* haud prudenter se gereret cœtus iste: nisi enim, renovato ritu illo superstitioso, reliqua etiam sacra Pontificia amplexurus esset, hostes ejus

(m) 1. Thess. 5, 22. Conf. 2. Cor. 6, 14-18.
(n) Rom. 13, 1.
(o) Ebr. 13, 17.

eius in diversum forent tracturi, an facta Passaviæ, confirmata Augustæ Vindelicorum, instaurata Osnabrugæ, de Religione pactio ad eum spectet?

§. XI. Nondum mihi, Maiorem illam ut mitram, integrum est. Mentionem in illa feci de Magistratu Politico: cuius habendam hic esse rationem adversarii pernegabunt. Sacros interdicere aut iubere ritus, inquient, est pars regiminis ecclesiastici. Atqui regimen hoc non pertinet ad Magistratum Politicum, sed ad solum universalis Ecclesiæ caput visibile, Pontificem Romanum, *qui unus per orbem terrarum plenam habet, & sine loci ac iurisdictionis exceptione integram potestatem* (p). Verum enimvero falsissimam esse opinionem hanc, iam dudum apertissime ostenderunt & nostri & Reformatorum Theologi. Deficiunt institutio ac vocatio Divina; obstant vita CHRISTI, Eiusdemque apophthegma hoc, *Regnum meum non est mundanum*; repugnant exemplum Apostolorum, Biblica Episcoporum nomina, vocantur enim pastores, doctores, oeconomi; item Ministerii Ecclesiastici conditio ex Luc. 22, 25. & 1. Pet. 5, 3. cognoscenda, nec non & Episcopatus finis, qui alius non est, quam Evangelium prædicare & dispensare Sacramenta (*). Redditur his rationibus sole ipso illustrius & clarius, sacri ordinis virum nullum, quemcunque is obtineat gradum, Ecclesiasticum sibi sumere ac arrogare posse regimen. Quare, quum visibilis SALVATORIS MVNDI Ecclesia regimine externo carere nequeat, sequitur, ut regimen illud sit partium Regum & Principum secularium; Confer. 1. Reg. 2, 27. c. 22, 44. 2. Reg. 12, 4. c. 18, 4. c. 23, 1-25. 2. Par. 19, 8. (**) Proferunt quidem adversarii quoque, pro antithesi, argumenta, eaque admodum multa: verum B. D. Io. GERHARDVS, *in Confessione Catholica* (q), ex ipsis Romano Catholicis scriptoribus ea refellit & coarguit. Ut exemplum adiungam, allegant Pontificii Matth. 16, 18. quem locum ad Pontificialis primatum sedis Romanæ primus transtulisse dicitur Leo Magnus: sed alios Pontifices, itemque Pontificios scriptores haud paucos, censuisse, petram ibi esse vel confessionem Petri vel CHRISTVM, sex columnis pagina-

Ecclesiasticum regimen an ad Papam pertineat?

(p) Sunt verba Dion. Petavii in Tr. de Ecclesiastica Hierarchia lib. II. c. 2. § 11.

(*) Vid. B. D. Quenst. l. c. P. IV. p. 509. sqq. D. Walch. in Lex. Philos. p. 1556. sqq. *Des lauschenden Sendschreiben an einen* JCtum, ed. a. 1700. in 4. Smalcaldiæ, Le Tombeau de la Constitution de Clement XI. divulg. Amstel. a. 1718, D. Ant. Albizii lib. de decem principiis doctrinæ Christianæ, emiss. Campidoni a. 1612, in 8. Princ. X. in primisque Isaac Barrow, de Primatu Papæ Germanice, ed. Lips. a. 1723. in 4.

(**) Consulatur, præter Quenstedtium l. c. p. 437. sqq., Doct. J. W. Jægerus de Concordia Imperii & Sacerdotii.

(q) Lib. II. specialis Parte I. Artic. III. cap. V. a p. 574.

(r) Libri I. generalis Part. II. cap. II. arg. a. a p. 106.

ginarum (r) condocuit laudatissimus ille Theologus, citatisque ab eo adde *Bossuetum*, Episcopum Meldensem, qui in Instructione Principis Durasinæ, cuius ille in Colloquio cum Dn. Claudio, Parisiis an. 1683. edito, statim initio meminit, verba, *super hanc petram*, ita exponit, *super egregiam hanc fidei confessionem*, item *auctorem Tractatus de auctoritate Papæ*, Hagæ Comitum an. 1670. emissi, quippe qui aperte atque ingenue confitetur (s), Papæ primatum ex Scriptura, præsertim ex Matth. 16, 18., probari non posse, porro *Tostatum* (t), auctoremque libri A. C. M. DCC. XXIV. foras dati & prænotati, *Religio Mariana*. Eorum autem, qui non tam auctoritate, quam rationibus, refutare in animum induxerant, potiores adduxit B. D. QVENSTEDT *in Systemate Theologico* (u), posteaquam ipse pleraque hostium tela, quæ acumen habere visa, hebetaverat.

(s) Tom. I. lib. I. p. 156.

(t) Vide Alardum Vaeck, de primo principio Theologiæ Iesuiticæ, lib. I. p. 15.

(u) Part. IV. p. 516.

An Pontificio subiectis Magistratui Lutheranis, in illius gratiam, controversam perficere liceat baptizationem?

§. XII. *Fingamus*, pergent pars adversa, *Regum ac Principum secularium esse primatum, s. exteriorem iurisdictionem, in ecclesia: non tamen controversæ interdictio baptizationis potestati Magistratus Pontificii subiectas quoque Lutheranas ecclesias ita obstringeret, ut in gratiam ciuilis huius Magistratus controversum morem adsciscere aut reducere iis non liceret. Etenim quanquam, qui sacra Vitembergensia profitemini, putatis, adspersionem illam baptismalis aquæ in irritum cadere: attamen damnum non dat infanti, quum gratiam Dei, qua extra ordinem in eo fidem excitari remini, neque avertat, neque impediat, neque auferat. Facientes innoxia, quæ ipsi quidem irrita fore præcognoscunt, alter vero, cuius in gratiam ea fiunt, profutura esse persuasum sibi habet, in numero prudentum ducendi sunt, si alterius conciliare sibi gratiam necesse habeant.* Sed tametsi parvulis ipsis adspersio ista haud quicquam nocet: tamen Lutherana adspergens grave profecto facit detrimentum, quippe suam vulnerat commaculatque conscientiam, eoque Divinam gratiam amittit ac perdit. Ex qua responsione simul apparet, cuiusmodi sit incitamentum alterum, *Prudentia cessionem illam flagitat, cedenti catholici Magistratus acquirit ea benevolentiam.* Nam, cum Divini favoris iactura, favorem aucupari hominum, neutiquam prudentia est, verum summa fatuitas. Quocirca theoremati isti, *Lutheranis ecclesiis, Pontificio obnoxiis magistratui, controversum ritum imitari aut reassumere licet*

licet, ut eius falsitas eo magis pateſcat, ſecundum canonem logicum, *Contraria iuxta ſe collocata, magis eluceſcunt*, oppono, ſeorſum cum primo quæſtionis prædicato collata & compoſita, quæ ab orthodoxi magiſtratus interdicto §. 9. deſumpta eſt, ratione, theorema hoc: *Quam in ſacris conſuetudinem Pontificiam, concorditer a γνησίως Lutheranis Doctoribus reiectam, Lutheranus Magiſtratus omnium cœtuum emendatorum, per totam eccleſiam Euangelicam, omni tempore, ſerio vetavit ac hodieque vetat, eam illos etiam cœtus emendatos, qui in Pontificios ritus ſequentis magiſtratus ditione ſunt ac poteſtate, intermittere oportet; niſi*, quod iam §. 9. adieci, *male eam reiici, vetari, intermitti, ad liquidum perduxerint eorum Theologi.* In hac propoſitione prædicatum, deficiente addita conditione, a Subjecto remouendum eſſe, dilucide demonſtrat, præter Media §. 20. aſſumpta, Medium ſequens. Viſibilis eccleſia Lutherana, ſiue CHRISTI, eſt ſocietas proprie ſic dicta, nitens pacto, quo ſocii fidei ſibi mutuo recepere, fore inter ſe communionem externi cultus DEI, ſingularemque familiaritatem. Huius pars ſocietatis eſt eccleſia quæque Euangelica particularis, magiſtratus heterodoxi ſubdita imperio. Quod ſi opponatur, expreſſum deeſſe pactum, nunquam hodie tali pacto ſocietatem ſacram conflari: reſpondeo cum D. WALCHIO (x), negari tamen nequire pactum tacitum, quod expreſſo a pacto reipſa, & ad vim obligandi quod ſpectat, non diſcrepat. *Denn was dorten durch Worte geſchicht*, recte addit D. WALCHIVS, *thut man hier durch ſolche Verrichtungen, welche den Willen gantz deutlich entdecken, doß da man weiß, es werde niemand in einer Gemeinde gedultet, der nicht die darinnen aufgenommene Lehren annimmt, und ſich nach der Kirchen-Verfaſſung beqvemet, man ſich dennoch darein begiebt; oder wenn man darinnen auferzogen worden, nach erlangtem völligen Gebrauch der Vernunfft dabey verbleibt.* Hanc vero pactionem coetus Lutheranus, heterodoxo devinctus Magiſtratui, violaret, ſi talem in ſacris conſuetudinem, qualem theorema poſterius memorat, innovaret.

(x) l. c. pag. 1556.

§. XIII. Contendamus iam inter ſe praedictam rationem *Propoſitio maior, contendens inter ſe pri-*

mam rationem de secundum controversæ thesis Prædicatum, ut pateat, ne tum quidem, quando heterodoxus Magistratus iubet, minatur, vi lacessit, dictam baptizationem licere efficere.

nem & secundum controversæ thesis Prædicatum, unde hæc existit Propositio: *Quamcunque in sacris consuetudinem primo ii illico ipsi, qui sanam &c., eam huic aut illi particulari cœtui Lutherano, qua tali, ne tum quidem, quando heterodoxus magistratus iubet, minatur, vi lacessit, referre licet, nisi eius Theologi forsitan &c.* Nam quum talis in sacris consuetudinis sponte & ultro resumendæ cœtus singularis non habeat licentiam, illam tum quoque resumere non licitum est, quando vim faciunt a veritate deflectentes: quoniam tum ista naturam suam non immutat, non cessat esse ritus Papismi discriminalis. Insuper item scandalo, quum de numero *προσκαίρων* (y) sit, est aliis, item speciem facit Indifferentismi, item supereminentibus, secundum ecclesiastica, potestatibus ac doctoribus suis, dicto non audiens est, item a prædicta recedit pactione, item vulnus infligit conscientiæ suæ, qui ad huius consuetudinem generis redit vi coactus, atque qui sua sponte. Operæ pretium erit, ductum a conscientiæ læsione argumentum pluribus verbis dilucidare. Quatuor esse species conscientiæ, rectam, erroneam, dubiam, scrupulosam, rectamque dispesci in certam, cuius argumentatio ex certis atque invictis principiis procedit scientiamque gignit, & probabilem, cuius ratiocinatio *διαλεκτικῶς* ex probabilibus principiis opinionem elicit, posterioremque hanc suos habere gradus, res nota est atque apud omnes practicæ cultores Philosophiæ pervulgata. Iam porro hominum quidem auctoritas probabiles tantummodo producit Conclusiones: at quia controversum ritum ii, quorum principium Theologiæ est sola S. Scriptura Canonica, & quidem omnes, omnique tempore, reiecerunt ac interdixerunt, contra comprobant, tenent, imperant, qui pro Christianæ principio Religionis solum reapse agnoscunt Pontificem Romanum, (z) Conclusio mea, *ritum illum, sive sponte sive coacte, imitari cœtui Lutherano non licere*, summum istinc consequitur verosimilitudinis gradum. Proinde quod argumen-

(y) Matth. 13, 21.

(z) In responso, ob Papalem Bullam *Unigenitus* in Galliam misso, Elector Trevirensis, quem nunc iam habet æternitas, *Papæ infallibilitas*, ait, *putata semper est pro Catholicæ fundamento Religionis.* Vid. Temoignage de l'Eglise Universelle en faveur de la Bulle Unigenitus, p. 94. Consultus eadem de re Archiepiscopus Granatensis respondit ibid. p. 228: hæreses omnes hoc quam optime edomari & comprimi possunt Syllogismo, *Quicquid Romanus Pontifex damnat, istud damnandum est etiam ab aliis, atqui &c.*

gumentatio principio maxime probabili hic nititur, carni, ſive infirmitati naturae, Pontificiorum perſuaſionibus, minis, adhibitae vi cedere paranti, apud Lutheranam amplexos religionem conſcientia maxime probabilis reclamitat. Atqui *contra conſcientiam veram, ſive certa, ſive probabilis ſit, non eſſe agendum*, cum Philoſophi tum Theologi inculcant.

§. XVI. Non dubito fore, qui verbis his mihi obſonent: *rem tractas minoris ponderis, de qualibus heterodoxo magiſtratui, vim facienti, obſequi licet, præſtat enim aliquam exſiſtere eccleſiam, quam nullam.* Verum vero etiamſi concedo, praeceptum *de parvulis prius, quam ex toto editi ſunt, non baptizandis*, tanti non eſſe momenti, quanti ſunt, *laicos a Sacrarum lectione Literarum non eſſe arcendos, ſolum* CHRISTVM *Θεάνθρωπον pro mediatore inter* DEVM *& homines, tum redemtionis tum interceſſionis, eſſe habendum, nec Angelos, nec Mariam virginem, nec demortuos ſanctos, nec ſanctorum reliquias, &c., eſſe adorandos, bonis operibus iuſtificandi vim non tribuendam, ſacerdotibus non interdicendum coniugium*, & id genus alia haud pauca: attamen illud *primo* aeque, ac haec ſunt, praeceptum eſt eccleſiae noſtrae; *deinde* magni quoque per ſe, non collatum, eſt momenti, quia baptizatio, quam reprobat & prohibet, Divinam violat conſtitutionem; id quod infra prorſus probabo. *Super hæc* plane nego, ad ea, quae minoris ſunt ponderis, heterodoxo magiſtratui, vim minitanti aut facienti, licere obtemperare; ſeu de iis, quae non, niſi collata cum aliis, talia ſunt, loquaris, ſeu in animo habeas, quae talia ſunt per ſe, hoc eſt, adiaphora. Nam primum itidem utraque aut docet & praecipit, aut damnat & interdicit, CHRISTI Eccleſia: quamdiu ergo heterodoxus magiſtratus vinculum, quo conſcientias noſtras auctoritas obſtringit eccleſiae CHRISTI, evidentum S. Scripturae dictorum, aut hinc depromtarum apertarum rationum, beneficio non reſolvit, tam diu non fas eſt illius, quamvis vim minetur aut adhibeat, adſentire voluntati. Tum praeterea quantum ad illa, quae non, niſi collata, minoris ſunt momenti, annon ſimiliter, ac graviora, docentur, iubentur, aut improbantur, prohibentur, in S. Literis? Ad Adiaphora autem, id eſt, voce hic ſpecialius accepta, ceremonias ſive ritus eccleſiaſticos, quos, per ſeſe conſideratos,

Ad obiectionem, rem a me tractari minoris ponderis, respondetur.

Verbum Dei nec praecipit nec vetat, quod attinet, illa quoque, nostra in Ecclesia abrogata, ne tempore persecutionis, & in confessionis casu, postulantibus id & urgentibus adversariis, in usum revocentur, divinior Scriptura interdicit, cuius loca producit Formvla Concordiae (a), quam evolve. Quod si itaque in ritibus indifferentibus cedere inconcessum est, multo minus de divinitus prohibitis obsequi licebit: secundum axioma, *Si id, quod magis videtur, verum non est, neque id, quod minus videtur, verum erit.* Adde etiam, quod parva mala, postulationi concessa Iesuitarum & monachorum, altius atque latius cancro deterrimo momento serpant. *At praestat tamen,* inquis, *aliquam exstare ecclesiam, quam nullam.* Respondeo brevi, canonem illum esse nullum in iis, quae conscientiam laedunt, & ideo eis, qui caeteroqui mali non sunt, contrahunt tristitiam, dum aliter agunt, duraturam.

(a) ed. Lips. a. 1698. p. 615.

Propositio maior, primam cum tertio quaestionis Praedicato conferens rationem, ut clare appareat, Magistratum Pontificium ad controversum ritum, sine culpa, vi adigere nullo modo posse.

§. XVII. Sequitur tertium quaestionis Praedicatum, cuius cum primo Wolaviensium Theologorum medio termino dispositio sequentem gignit Propositionem: *Quamcunque in sacris consuetudinem primo ii illico ipsi, qui sanam &c., ad eam Lutheranos minis & vi adigere sine culpa non potest ullo pacto Magistratus Pontificius.* Hanc Propositionem fundari veritate, ex eo elucet, quod statim ac adigit, inquinat se Magistratus ille peccato, cuius supra (*) ob oculos posui gravitatem. Quid si Theologi eius, *regeres*, planum fecerunt, laudabilem, immo plane necessariam esse consuetudinem illam? Sed certo scio, huiusmodi ritum nullum nostra in Ecclesia esse antiquatum, nec quidquam unquam invenies magis hoc certo certius, nullum ex omni memoria Theologum Pontificium planum fecisse, generis eius esse ritum controversum. Finge tamen abolitionem istiusmodi, fingeque errata alia, eaque grauia, sive ad doctrinam, sive ad praxin, pertineant, apud Lutheranos: forentne hi ad meliora (conditionaliter sic loquor, nimirum, si qua, seu dogmata seu instituta Romanae religionis, ita comparata essent,) minis & vi compellendi? neutiquam, sive publice sive privatim errarent. Quod attinet ad publice errantes, hoc est, ut locutionem hanc B. D. Balduinus explicat (*), qui non ipsi modo in rebus fidei periculose errant, verum etiam alios tur-

(*) §. 7.

(*) in Tract. de Casib. Conscient. lib. 2. c. 6. casu 4. p. 186.

turbant, ad se clanculum alliciunt, errores suos disseminant ac dispergunt, & simpliciores seducunt; tales quidem in pacata & tranquilla republica monitis & interdictis coërcendi, sique incepto non desistant, in carcerem includendi, aut e provincia eiiciendi sunt, & ad suos remittendi, dummodo severitatis huius finis per se intentus non sit, ut errores dimittant ac eis renuncient, veritatemque amplectantur atque profiteantur, quippe quod religionis & fidei adversatur naturae, verum ut alios turbare aut corrumpere ultra nequeant: in eos tamen, nisi ad haeresin eiusque clandestinam propagationem seditiones & conspirationes contra magistratum accedant, gladio, igne, dimachis, triremibus &c., saevire, nullis unquam in ecclesia bonis placuit, estque praecipuus antichristi magni character; quicquid contra ea dicant Bellarminus, quem B. D. DORSCHEVS (b) refutavit, personatus *Hierotheus Boranowsky* (c), cui *D. Sam. Pomarius*, in tract. *vom ungerechten Gewissens-Zwang*, respondit, & alii scriptores Pontificii, quibus omnibus unius B. D. QVISTORPII opponi potest Disputatio, *de propagatione fidei per ferrum & flammas*, recusa anno 1720 (*). Privatim errantes, id est, ut iterum D. Balduin. exponit (**), qui sibi tantum errant, caetera quieti, neminem turbantes, nec errorem spargentes, immo cedere parati, si meliora edoceantur, quique caeteroqui Magistratibus obtemperant ac obediunt, & tributa imposita aeque, ac alii, libenti animo pendunt; hos, inquam, nisi ferat Magistratus, quoad pacate vivunt, etsi ex pacto ferre non oporteat, sed minis & vi cogat suae religionis amplecti dogmata aut ritus, dicto eum teneri peccato tam verum est, quam quod verissimum. Namque de conscientiae erroneae obligatione, de qua inter morum doctores anceps disceptatio, doctiores ac sapientiores recte docent: *Si error de re vetita aut praecepta sit vincibilis, peccat, & qui secundum conscientiam, & qui adversus eam agit; sin invincibilis sit, faciendum potius est secundum, quam adversus, eam; versans autem in errore de re indifferenti delinquit, si contra conscientiam, non autem, si secundum eam operetur.* His praesuppositis perspicuum est, quod modo dixi, Magistratum, privatim errantes edictis

(b) in comment. in Luc. c. 9, 54.

(c) h. e. *I. Schefflerus*, in libro, *Gerechtfertigter Gewissens-Zwang*, ed. 1674. Nissae.

(*) Evolvi etiam meretur B. D. Quenstedt l. c. P. I. p. 26. s. & P. IV. p. 440. sqq.

(**) l. c. p. 187. a.

edictis minacibus & vi cogentem, in ipsas vim facere conscientias, immo eum huius reum quoque esse peccati, si publice errantes, qua errant, non qua errores disserunt, vi lacessat. Tria, quantum ad privatim errantes, duntaxat sunt, docente rursus Balduino (*), quae non tantummodo a Magistratu licite fiunt, sed, ut fiant, officium ab eo quoque flagitat: non publicum religionis exercitium eis permittere, eos potius, ut sacra meliora, quibus Magistratus addictus est, invisant, commonefacere, eosdem ad publica reipublicae munera non admittere. Quare tametsi apud Lutheranos controversa consvetudo temere esset abolita, aliaque, cum DEI Verbo haud congruentia, obtinerent, neque secundum conscientiam summe probabilem ex prima Wolaviensium Theologorum ratione, ut praecedente paragrapho demonstratum est, & secundum certam e secundo eorundem artis sacrae Antistitum argumento, de quo agetur postea, verum secundum erroneam, ritus controversus & alia, seu facienda seu docenda, intermitterentur ac negarentur, & ex contrario intermittenda negandave haec & illa fierent ac docerentur: attamen ne tum quidem, quia erroneam quoque non permissum hominibus est vi externa adoriri conscientiam, peccare enim perpellunt, si perpellant, ad consvetudinem eam aliaque, sive instituta sive dogmata, eos minis & vi adigere sine peccato nequirent, qui Pontificios inter cum imperio sunt. Quin immo peccatum committerent hi etiam, si eos, qui errorum convicti, perstare in illis ex mera malitia ac fœda contumacia viderentur, quales olim Pharisaei fuere, vi & violentia ad fidem perpellerent, siquidem hoc cum religionis pugnaret natura, ut supra (d) condocuit *Lactantius*, nec non etiam cum doctrina & praxi SALVATORIS (e) atque *Apostolorum* (f). Sed repeto iam, me omnia haec non, nisi conditionaliter, disseruisse. Ritum enim controversum primum non temere esse sublatum, summa instauratorum verae religionis prudentia, e toto sanctae instaurationis negotio ubique elucens, magno, loca autem Scripturae post citanda & tractanda, maximo & irrefutabili sunt argumento; deinde omitti illum a Lutheranis non secundum erroneam, sed adprime probabilem, immo certam conscientiam, dictae rationes Wolaviensium Doctorum

(*) l. c. p. 187. b.

(d) §. 7.

(e) Matth. 13, 30. Luc. 9, 54.

(f) 2. Cor. 10, 4. 2. Tim. 4, 2. Tit. 3, 10. Act. 13, 46.

ctorum ſatis perſpicue docent; tertium eſt, nullo probari poſſe exemplo, alia doceri aut fieri apud illos S. Literis non conſentanea. Hinc ſequens, a maiori iterum ad minus, duco argumentum firmiſſimum: Si ne magiſtratui quidem orthodoxo, etiamſi pacto nullo teneatur, licet errantes vi adigere ad amplectendam veritatem, multo minus licebit heterodoxo magiſtratui veritatis tenaces edictis minacibus & vi cogere, ut errores & ſuperſtitioſas conſuetudines adſciſcant. Addo, in religione non ſolum non vim, ſed ne ſeveritatem quidem, adhibendi ius habere falſæ addictos religioni: qua de re videatur PHIL. NAVDÆI Refutation du Commentaire Philoſophique (g).

(g) divulg. Berolini, a. 1718, Tom. II.

§. XVIII. Gradum promoveo ad quartum controverſæ theſis Prædicatum, cuius cum prima Wolavienſium Theologorum ratione connexio hanc producit Propoſitionem: *Quamcunque in ſacris conſuetudinem Pontificiam primo ii illico ipſi, qui ſanam &c., illam præcipue inter eos Lutheranos, qui ſub Germanico ſunt imperio, minis ac vi rurſus introducere ſine crimine nequeunt, magiſtratum habentes Romano-Catholici.* Ideas, in hac Propoſitione comparatas, a ſe invicem ſeparandas eſſe, aſſumpta unica idea tertia, videlicet PAX RELIGIOSA, dilucide demonſtrat, quippe cum qua terminus Propoſitionis maior tam aperte pugnat, quam quod apertiſſime. Nam in ipſa iam *transactione Paſſavienſi*, quæ anteceſſit *pacem religioſam*, facta anno 1552. 4. Nonarum Auguſti, §. 8. & 9. hæc leguntur: *Und mitlerzeit weder die Kayſ. Majeſt. wir, noch Churfürſten, Fürſten und Stände des heiligen Reichs, keinen Stand der Augſpurgiſ. Confeſſion verwandt, der Religion halben mit der That gewaltiger weiß oder in andere Weg wider ſein Conſcientz und Willen tringen, oder derhalben überzieben, beſchädigen, durch Mandat oder einiger anderer Geſtalt beſchwären oder verachten, ſondern bey ſolcher ſeiner Religion und Glauben ruhiglich und friedlich bleiben laſſen. Es ſollen auch der ietzigen Kriegs-Ubung, auch alle andere Stände der Augſpurgiſ. Confeſſion Verwandte, die andern des heil.*

Propoſitio maior, primam cum quarto controverſæ theſis Prædicato contendens rationem, ut perſpicuum fiat, Magiſtratum Romano-Catholicum conſvetudinem, in diſceptationem vocatam, praecipue inter eos Lutheranos, qui ſub Germanico ſunt imperio, minis & vi rurſus introducere nequire ſine crimine.

Reichs Stände, so der alten Religion anhängig, geistlich oder weltlich, gleicher Gestalt ihrer Religion, Kirchen-Gebräuche, Ordnung und Ceremonien, auch ihrer Haab, Gütern u. s. w. halben unbeschwärt, und sie derselben friedlich und ruhiglich gebrauchen und geniessen u. s. w. lassen. In instrumento nunc *pacis religiosæ*, anno 1555. in Conventu Augustano, publico imperii ordinum decreto, constitutæ ac iureiurando firmatæ, libertas religioni Lutheranæ luculentissimis his concessa est verbis: §. 15. *Und damit solcher Friede auch der spaltigen Religion halben, wie aus hievor vermeldten und angezogenen Ursachen, die hohe Nothdurfft des H. Reichs Teutscher Nation erfordert, desto beständiger zwischen der Röm. Kayserl. Maj. Uns, auch Churfürsten, Fürsten und Ständen des Heil. Reichs Teutscher Nation, angestellt, aufgericht, und erhalten werden möchte: So sollen die Kayserliche Majestät, Wir, auch Churfürsten, Fürsten und Stände des Heil. Reichs, keinen Stand des Reichs, von wegen der Augspurgischen Confession, und derselbigen Lehr, Religion, und Glaubens halben, mit der That gewaltiger weiß überziehen, beschädigen, vergewaltigen, oder in andere Wege, wider sein Conscientz, Gewissen und Willen, von dieser Augspurgischen Confessions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht, oder nachmahls aufrichten möchten, in ihren Fürstenthumen, Landen und Herrschafften, tringen, oder durch Mandat, oder in einiger anderer Gestalt beschweren oder verrachten, sondern bey solcher Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, auch ihren Haab, Gütern, u. s. w., ruhiglich und friedlich bleiben lassen, und soll die streitige Religion, nicht anders, dann durch christliche, freundliche, friedliche Mittel und Wege, zu einhelligem christlichem Verstand und Vergleichung gebracht werden, alles bey Kays. und Königl. Würden, Fürstlichen Ehren, waren Worten und Poen des Land-Friedens.* §. 26. *Damit*

auch

auch obberührte beyderseits Religions-Verwandte, so viel mehr in beständigem Frieden, und guter Sicherheit, gegen und bey einander sitzen und bleiben mögen, so soll die geistliche Iurisdiction (doch den geistlichen Churfürsten, Fürsten, und Ständen, Collegien, Clöstern und Ordens-Leuten, an ihren Renten Gült, Zins u. s. w. unvergriffen,) wider der Augspurgischen Confessions Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht oder aufrichten möchten, bis zu endlicher Vergleichung der Religion, nicht exercirt, gebraucht oder geübt werden, sondern derselbigen Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien und Bestellung der Ministerien, wie hievon nachfolgends ein besonderer Articul gesetzt, ihren Gang lassen, und kein Hindernüß oder Eintrag dadurch beschehen, und also hierauf, wie obgemeldt, bis zu endlicher Christlicher Vergleichung der Religion, die geistliche Iurisdiction ruhen, eingestellt und suspendirt seyn und bleiben. §. 25. - - - - - - - - - - - *Wo dann solche Vergleichung durch die Wege des General-Concilii, National-Versammlung, Colloquien, oder Reichs-Handlungen nicht erfolgen würde, soll alsdann nichts desto weniger dieser Fried-Stand in allen oberzehlten Puncten und Articuln bey Kräfften, bis zu endlicher Vergleichung der Religion und Glaubens-Sachen, bestehen und bleiben, und soll also hiemit obberührter Gestalt, und sonst in alle andere Weg, ein beständiger, beharrlicher, unbedingter, für und für ewig währender Fried aufgericht und beschlossen seyn und bleiben.* Haec, & quæ praeterea ex tabulis illis ad religionem pertinent, Ratisbonæ anno 1557, 1641 & 1654, Augustæ Vindelicorum anno 1559 & 1566, Osnabrugae & Monasterii anno 1648, Noviomagi anno 1679, Ryswici anno 1697, Francofurti ad Mœnum anno 1711. in sanctione imperatoria CAROLI VI., Longe-Gloriosissimi in præsentia CAESARIS nostri, quem DEVS TER OPTIMVS

TERQVE MAXIMVS omnigena quam florentissimum felicitate diutissime servet, inque præsenti bello magno & gravi, ac omnibus periculis aliis, clementer atque potenter adiuvet! denique Badenæ anno 1714, renovata sunt et confirmata. Itaque ergo *religiosa* cum *pace*, toties innovata, dictas minas, dictamque violentiam, pugnare, contra omnis in sacris consvetudinis Pontificialis, per totam Ecclesiam CHRISTI peremtæ & sublatæ, intermissum convenire, si quis inficiaretur, næ illum insigniter esse impudentem oporteret. Hinc liquet Propositionis meæ maioris quartæ veritas. *Quæcunque* enim *pugnant in certo aliquo tertio, ea etiam eatenus inter se pugnant.* Quin immo quum *Pax religiosa* nostræ Ecclesiæ receptos iam tum ritus Ecclesiasticos, ordinationes, ceremonias, & retinendi & novis adaugendi concedat libertatem non circumscriptam, sequitur inde, ut Pontificius Magistratus a Lutheranis ritum hunc illumve, per totam ecclesiam suam exstinctum non tenentibus, si sciat, initio statim emendatos cœtus ab illo recessisse, ne postulare quidem possit, ut hi caussam intermissionis indicent, sin autem nesciat, nihil aliud ex iis exigere possit, quam ut probent, hanc illamve praxin esse totius ecclesiæ Lutheranæ.

Repelluntur duæ Iesuitarum obiectiones; quarum prima est, Lutherani a Pace religiosa deflexere.

§. XIX. Duo potissimum mihi opponent ordinis IESV sodales. Primum inquient: *Nititur pax hæc religiosa Augustanæ Confessionis doctrina; a qua quod mirum quantum deflexistis, iccirco pax illa ad vos non spectat amplius, ea frui amplius velle, perinde inconveniens ex vestra parte est & iniquum, ac quum Adamus lapsus Paradisi carere nollet amoenitatibus.* Enimvero etiamsi concedo, pacem illam Augustanæ doctrina Confessionis suo fundatam esse modo: pernego tamen, ea id factum esse ratione, qua existimant patres Loiolitæ, dictitantes, *nostris nihil præter illa, quæ Augustanæ Confessionis nominatim continentur Articulis, docere contra Papatum licere.* Neutiquam enim *sola* Augustana Confessione, utpote quæ, docente epilogo, præcipuos duntaxat complectitur Articulos, qui videbantur habere controversiam, verum *tota nostra religione*, de qua, ab anno 1530. usque ad annum dictæ pacificationis, innumera ferme in publicum data

iam

iam fuerant ſcripta, pacem religioſam niti, liquidiſſime conſtat e verbis §. 18. allatis, *daß wir keinen Stand des Reichs, von wegen der Augſpurgiſchen Confeſſion, und deſſelben Lehr, Religion und Glaubens halben, &c.*, item ex his, *dieſer Augſpurgiſchen Confeſſion, Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nochmahls aufrichten möchten*, maximeque e verbis transactionis Paſſavienſis, quæ æque *de tota noſtra religione* polliceri, ac de tota religione Pontificia præcipere, dubitare non ſinit Particula, *gleicher Geſtalt.* Quodſi vero deflectere ab Auguſtana Confeſſione adverſariis idem ſit atque aliter, quam illa docuit, docere: peto, ut unico ſaltem talem deflexionem confirment exemplo. Videantur plura de oppoſitione hac prima *in Nothwendiger Vertheidigung des Aug-Apffels* (h), & B. D. IOHANNIS GERHARDI Confeſſione Catholica (i). Secundum eſt, quod obiecturos eos, aut ad minimum, quoniam eſt ſententia ab omnibus, quibus pectus ſapit, dudum explosa & eiecta, verſaturos ſecum in animo, nihil dubito, *hæreticis fidem non eſſe præſtandam.* Verum enimvero primum Eccleſia noſtra hæreſeos incuſari nequit. Nihil enim elegit illa ſuo arbitrio, ſed doctrinam a CHRISTO & Apoſtolis accepit. Egit de incuſatione hac iam B. D. VRBANVS REGIVS (k), eamque dimovit ope canonis Logici, *Remota definitione removetur definitum. Keiner iſt Kätzer*, inquit (l), *er halte denn, und lehre neue Articul und Irrthum wider das heilige Evangelium Ieſu Chriſti, und ſo er ſeines Irrthums übervviesen, und genugſam unterrichtet iſt, daß er dennoch auf ſeinem irrigen Sinn verharret, und ſich alſo durch Kätzeriſche Lehre und Ungehorſam von der allgemeinen Kirchen abtrennet:* quæ definitio rectiſſime duo, ut aliquis ſit hæreticus, requirit, errorem circa dogma fidei in Scriptura S. revelatum, & pertinaciam in palliando aut defendendo errore demonſtrato. Deinde ſi incredulis, puta, Iudæis, Turcis, Gentilibus, fides ſervanda eſt, ſive illa ſolummodo data ſit, ſive ſimul iureiurando firmata: dicite, quæſo, cur hæretici

(h) p. 228. f. & p. 252 -- 268.

(i) in Epiſt. dedic. Partis II. Libri II. ſpecialis, p. 791. f. *Obiectio ſecunda, hæreticis fidem non eſſe præſtandam.*

(k) *Im Geſpräch vom zukünfftigen Concilio zu Mantua*, ed. Vitembergæ an. 1537.

(l) lit. D.

tici deterioris hic a vobis iudicentur conditionis? Prius verum esse ex eo apparet, quod cum incredulis, quatenus sunt homines, sine respectu religionis, pactiones conficiuntur, ac ideo eadem illi possident iura, quæ unicuique homini natura tribuit. Hæc ratio quum in hæreticos quoque quadret, ex eadem simul perspicuum, immo solis luce clarius, est, e Priori recte colligi Posterius. Itaque vel e solo naturæ lumine cognoscitur, non minus, qui hæreticis, quam qui aliis, fidem non servant, fœdifragos esse & periuros; cuius criminis maxima inter crimina S. LITERAE movere solent mentionem (m), cuiusque admissoribus IVSTISSIMVS DEVS comminatur, *fore se contra istos testem velocem* (n). Huiusmodi vindictæ Divinæ exemplum si desideratis, ite Varnam, aut bellum Hussiticum reminiscimini. Præterea hoc etiam cogitatote, non posse ullum ex viris iustis, integris, religiosis, quin omnes eos, qui hæreticis ore promittunt & spondent, ore cum illis paciscuntur, ore illis iusiurandum iurant, in pectore autem restrictionem hanc, *si Papa ratum habuerit*, aut istius generis aliam, volutant, siquidem restrictiones istas alterum, qui credit iurantis pectus cum ore plane atque omnino convenire, de industria celant, in numerum istorum, *quorum in ore dolosa invenitur lingva* (o), *non, quod cum veritate consentiat, quorum intimum sunt perditiones, gutturque, quum verbis blandiuntur, sepulcrum patens* (p), referat. Tales autem contra perspicuum & dilucidum DEI mandatum faciunt (q), sunt insigniter impiis adnumerandi (r), beatitatis veræ nec in hac (s), nec in altera (t) vita, fiunt participes, sunt DEO exosi (u) atque detestabiles (x), *ad dimidium dies suos non perducent* (y), *in puteum interitus*, sive, ut Paraphrasta Chaldæus vertit, *in gehennam profundam*, deiicientur (z). Quantum ad fidem iurato datam, negotii huius natura, dum rerum durabit universitas, non permittet, ut ii, apud quos nihil, nisi veritas, valet, quique eiusmodi rerum sunt gnari & prudentes, aliter unquam statuant, quam *iusiurandi interpretationem fieri oportere de sententia eius, cui iureiurando aliquid adfirmatur.* Conferantur *Hugo Grotius* (a) & *Gronovius* (b). Denique quia Pontificiis (male quidem) *hæreticus est, qui cum Romana Ecclesia non concor-*

(m) Vid. Ier. 7, 9. Malach. 3, 5. Sap. 14, 25. 1. Tim. 1, 10.

(n) Malach. 3, 5. ubi Hieron. exclamat, *Quanta formido iudicii, cum ipse sit testis & iudex!*

(o) Sophon. 3, 13.

(p) Ps. 5, 10.

(q) Prov. 24, 28. 1. Pet. 2, 1.

(r) Ps. 10, 7.

(s) Ps. 32, 1, 2.

(t) Apoc. 14, 5.

(u) Prov. 6, 17.

(x) Ps. 5, 7. Prov. 12, 22.

(y) Ps. 55, 22, 24.

(z) ibid.

(a) Lib. II. de I. B. & P. cap. 13. §. 3.

(b) in nota ad §. citatæ nr. 5.

concordat, tales autem in Europa, per DEI benignissimi gratiam, multitudine fere innumerabiles, interque eos Reges Potentissimi Principesque Serenissimi, existunt: dicta Romanensium hypothesis rerumpublicarum tranquillitati, statuique civili, e diametro adversatur. Etenim si nulli hæreticorum huiuscemodi fides sit præstanda, vicissim Romano-Catholicis hæretici illi ad liberandum fidem obstricti non tenentur. Huius simile quid relatum in *Anonymi Historia Silesiæ Ecclesiastica* (c) his verbis legitur: *In Schvveidnitz bekam* (adeptus illam ad urbem anno 1641. victoriam) *der General* Torstensohn *sieben Iesuiten gefangen. Nachdem sich solche nun ranzioniret, so liesse er sie fragen, ob man den Ketzern Treu und Glauben halten dürffe? sie antvvorteten* pro more *sehr unbedachtsam mit Nein. Hierdurch aber hatten sie sich selbsten eine schvvere Straffe und harte Gefängniß dictiret.* Iam quid inde futurum sit, perpendite, obsecro per vulnera IESV CHRISTI, quicunque opinionem istam sequimini! Non potest non perpetuum inde cooriri bellum, perpetuoque quies communis eo pacto disturbari. Conferantur *D. Buddeus* (d) B. D. PIPPINGIVS (e), & *B. Prætorius* (f).

(c) P. I. p. 235.

(d) in Diss. de Concordia relig. Christianæ & status civilis cap. IV. §. 8. sqq.

(e) in Diss. Philos. de Fide, Aph. V. §. 8.

(f) in Canon. Ethic. Sect. 18. Can. 14.

§. XX. Superest quintum thesis in disceptatione versantis Prædicatum, e cuius cum primo illo Wolaviensium veritatis testium maxime reverendorum argumento comparatione hæc provenit Propositio: *Quamcunque in sacris consvetudinem Pontificiam primo ii illico ipsi, qui sanam &c., illam speciatim Lutheranis, in Silesia degentibus, imperare, edictisque minacibus obtrudere, sine peccato nequit Magistratus Pontificius.* Huius probationem Propositionis suggerunt præclara Silesicæ Sacrorum libertatis fundamenta specialia, memoranda seorsum a generalibus illis, quorum supra (g) memini, quæque Silesiæ cum cæteris imperii Romano-Germanici provinciis sunt communia; quidquid contra hoc anno 1670. nonnemo scripserit, ad Silesios pacem Monasteriensem non spectare, perhibens, sed ita iam tunc refutatus, ut causam suam tutari non sustinuerit. Mirari satis nequeo, ex odio & invidia tantam in auctore illo progigni

Propositio maior, primam cum quinto thesis, in quæstionem venientis, Prædicato contendens rationem, ut pateſcat, Magistratum Pontificium consvetudinem, quæ in controversia est, speciatim Silesiæ Lutheranis obtrudere sine peccato nequire.

(g) §. 18.

progigni potuisse mentis cæcitatem, aut potius malitiam: quandoquidem pacis illius tabulæ non tantummodo Augustanam pacem religiosam, de qua, quod ad Silesiam quoque pertineat, eximie cum secus sentientibus confecit *auctor Fundamentorum Silesicæ sacrorum libertatis*, ut videre est in citata Anonymi Historia, alioqui in multis vituperabili, (h), ita, ut cum maxime, denuo corroborant & confirmant, sed nominatim etiam & verbis pluribus de Silesiæ Lutheranis ita agunt, ut liberum religionis eorum exercitium tum innovent tum, tribus novis templis concessis, adaugeant. Consulatur hîc quoque laudatus auctor Fundamentorum (i). Tantum ergo abest, ut Silesici Lutherani de iis, ad quos pax Westphalica pertinet, eximendi sint, ut paragraphi potius, de Lutheranis in Silesia sacris sancientes, in specialia liberi sacrorum illorum iuris fundamenta sint reponendæ. Hisce paragraphis iam adde Imperatorum memoriæ Longe-Gloriosissimæ, FERDINANDI I., MAXIMILIANI II., RVDOLPHI II., FERDINANDI II., FERDINANDI III., LEOPOLDI I., IOSEPHI I., excelsas magnificasque Pollicitationes, Literas Maiestatis, Confirmationes, & multo clementissimas Declarationes: de quibus ut enucleate dicam, ratio instituti mei mihi non permittit. Vide rursus scriptorem Fundamentorum, sufficienter de illis exponentem (k). Horum Fundamentorum specialium meminit quoque *Liber Baro a Strahlenheim*, minister Svecicus, in longa illa epistola, quam Breslaviæ anno 1707, idibus Novembris, ministris Cæsareis misit, utens his verbis: *diese* Jura *und* Privilegia (de quibus pacis Osnabrugensis Articulus V. §. 38. loquitur,) *aber sind*, propter generalitatem textus, ad profana & sacra obiecta *gehörig, und, so viel das* exercitium Religionis Augustanæ *betrifft, bestehen hauptsächlich in dem Augspurgischen mit dem H. Römischen Reiche getroffenen Religions-Frieden, als vvovon die Schlesier keinesvveges auszuschliessen, und dann denen darauf deutlich mitgegründeten ihren absonderlichen* Palladiis, *des Majestät-Briefes Kaysers* Rudolphi II. de dato *Schloß Prag am* 20. Augusti 1609. *und Chur-Sächsischen am* 28. Februarii 1621. *zu Dreßden* titulo oneroso *geschlossenen,*

(h) p. 547. f.

(i) p. 563. sqq. dictæ Historiæ.

(k) pag. 470, 548, 549, f. 552, 553, f. 567. 568. prædictæ Historiæ.

ſenen, ſo vvohl von Ihro Kayſerl. Majeſt. Ferdinando III. ſub dato *Wien am* 18. Martii eiusdem anni *confirmirten, und von der Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen gvarantirten Accords, vvie nicht vveniger denen hiernechſt an Chur-Sachſen und ſonſten ergangenen allergnädigſten Kayſerlichen Verſicherungen.* Reſtat Fundamentum minime prætereundum, CONVENTIO ALT-RANSTADIENSIS. Huius verba inceptiva hæc ſunt: *Promittitur a Parte* Sacr. Cæſar. Maieſtatis *liberum Religionis Exercitium, quod Principibus Sileſiæ, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, eorumque Subditis, nec non Civitatibus, Suburbiis, & Pagis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, Pace Oſnabrugenſi eſt conceſſum, non modo ſalvum & imperturbatum fore, ſed etiam, quæ contra genuinum eius Pacificationis Senſum innovata reperiuntur, ſequentibus modis correctum iri.* Inprimis obſervanda & notanda iam ſunt verba hæc (l): *Cauſæ Matrimoniales, aliæque ad Religionem ſpectantes Conſiſtorio Catholico, vel non ſubiicientur, aut ſecundum Canones in Auguſtana Religione receptos, iudicabuntur:* quibuſcum ut Pars adverſa iungant, quæ in poſtrema leguntur paragrapho, rogo & oro: *Mandabit pariter* (ſacra Cæſarea Maieſtas) *recepto more, ut quæ hic ita acta ac transacta ſunt, non tantum ad dictum tempus executioni tradantur, ſed etiam, ut omnes ac ſinguli Articuli, qui hic comprehenduntur, exacte ac bona fide quovis tempore obſeruentur, ac impleantur. Quemadmodum iis nunc quoque & in perpetuum Vim Legis tribuit, nullis contrariis Reſcriptis ac Mandatis infringendæ.* Quum itaque conſvetudinis Pontificiæ, ubique apud Lutheranos reiectæ ac prohibitæ, intermiſſio Canonibus in Auguſtana Religione receptis conveniat, SACRAque CAESAREA MAIESTAS ſanxerit, ut perpetua ſit Canonum illorum in Sileſia ad diiudicandum, quæ Auguſtanæ Religionis ſunt, auctoritas: annon inde lucidum eſt atque manifeſtum omnibus, quam inique agant, qui Magiſtratum Sileſium, Pontificios ſequentem ritus, inducunt ad imperandam, edictisque minacibus obtrudendam, conſvetudinem iſtiusmodi Sileſicis Lutheranis?

(l) ex §. 7.

§. XXI. Quanquam, quin primi Wolavienſium Doctorum argumenti gravitas & firmitas ab omni veritatis ac aequitatis diligente lectore iam perſpiciantur, nullus dubito, illudque

Propoſitionis maioris, primam rationem cum tertio,

quarto & quinto quæstionis Prædicato conferentis, fulcimentum aliud.

mihi ipsi, rem ipsam, itemque lectores, a præiudiciis Parte adversa liberiores, si specto, prolixius iamiam, quam necesse fuit, explicuisse videor: nequeo tamen, quin, cur Lutherani, fines IMPERII ROMANO-GERMANICI incolentes, ut ad Pontificiam in sacris consvetudinem, tota Ecclesia Lutherana abrogatam, revertant, a Magistratu Pontificio cogi sine culpa non possint, unicam adhuc in medium proferam caussam, tum propterea, quod illa allatas evidentia & gravitate, si non superet, tamen æquiparat, tum potissimum propter adversarios, apud quos error iste maximus, *minis atque vi adigendos ad religionem esse homines*, altioribus defixus est radicibus, quam ut ad avellendum istos ab illo argumentum unum alterumve sufficiat. Rationibus igitur iam ostensis hanc adiicio: *Quæcunque vultis, ut præstent vobis homines, omnia ea etiam vos præstate illis.* Docuere id *Tobias Nephtalita* (m) atque SALVATOR (n); docet idem, ex secundo officio hominum erga alios absoluto & cum perfecta obligatione coniuncto, *Quivis alterum natura sibi æqualem agnoscat*, collectum, Iurisprudentia universalis (o). Atqui dubium esse potest nemini, Papistas, in quos Magistratus Lutheranæ aut alii, a Pontificia diversæ, religioni addictus dominationem habet, velle, quoad eorum intellectum nobilis ac illustris veritas non irradiavit, etiam atque etiam, ut a conscientiarum coactione se abstineat Magistratus ille, Romani constitutiones Pontificis observari patiatur, fundamentisque libertatis sacrorum Romanorum congruenter convenienterque cum illis agat.

(m) c. 4, 16.
(n) Matth. 7, 12. Luc. 6, 31.
(o) Vid. Christian. Thomasius in Iurisprudentia Divina, lib. 2. cap. 3. §. 29. sqq. & D. Buddeus in Elem. Philos. pract. p. 270.

Propositio minor prima.

§. XXII. Collata cum quincuplici Quæstionis Prædicato prima Wolaviensium Theologorum ratione, comparemus eam cum Quæstionis etiam Subiecto. Existunt inde Propositiones quatuor, quarum prima hæc est: *Consvetudinem Pontificiam infantum ante baptizandorum, quam perfecte geniti sunt, ii illico ipsi, qui sanam credendi agendique doctrinam inter Christianos ex Scriptura S. cælesti restituerunt instinctu, reprobavere.* Veritate niti Propositionem hanc, docent verba B. D. LVTHERI, quæ ab Illo scripta A. C. M. D. XLII., leguntur Tom. VIII. Ien. (p), quorumque partem inchoativam ex B. D. BECHMANNO Theologi Wolavienses iam exhibuere. Vt eo lucidius appareat omnibus,

(p) pag. 44. b. item in Colloquiis mensalibus p. 182. b. & 183. a.

bus, Virum Summum, veræque Religionis Restauratorum, per IESV CHRISTI gratiam, Præcipuum, consvetudinem istam simpliciter reiecisse, totum Eius hac de re sermonem lectoris in oculis constituam: *Wenn sichs zutregt mit einer Frauen*, inquit magnus ille militantis Ecclesiæ Heros, *die in Kindesnöthen gehet, das die Frucht nicht mag gentzlich von ihr kommen, sondern allein ein Arm, oder ander Glied erfür kompt, so soll man dasselbige Glied nicht täuffen, in Meinung, als ob dadurch das gantze Kindlin getaufft sey. Vielweniger sol man ein Kind, so noch in Mutterleib stecket, und von ihr nicht kommen mag, teuffen, also, das man wolte über der Mutter Leib Wasser giessen &c. denn das solches Unrecht, und göttlicher Schrifft ungemes ist, erscheinet klerlich aus den Worten Christi Ioh. 3. da er von der Tauffe also spricht, Es sey denn, das der Mensch anderweit geborn werde &c. darum sol nun ein Kindlin getaufft, und also anderweit geborn werden, so ist von nöten, das es vor einmal geborn, und auf die Welt kommen sey, welches nicht geschicht, so nur ein einiges Glied aus der Mutter erfür kömpt. So sollen nu wir (die dabey sind) alleweg die Regel Christi halten, Es sey denn, das der Mensch anderweit geborn werde &c. Und nider knien, unser Gebet im Glauben sprechen, und unsern Herr Gott bitten, das er wolle solch Kindlin seines Leidens und sterbens theilhafftig lassen werden, und also nicht zweiveln, Er werde es nach seiner göttlichen Gnade und Barmhertzigkeit wol wissen zu machen. Darumb dieweil das Kindlin, durch unser ernstlich Gebet zu Christo gebracht, und solch Gebet im Glauben gesprochen ist, so ist es bey Gott gewis und erhöret, was wir bitten, und er es gern annimpt, wie er selbs Marc. X. spricht, lasset die Kindlin zu mir kommen, und wehret ihnen nicht, denn solcher ist das Himmelreich, so sollen wir es dafür halten, das das Kindlin, ob es wohl die rechte Tauffe nicht erlanget, darumb nicht verlohren ist.* Praeterea in

mensalibus B. D. LVTHERI Colloquiis p. 183. b. hæc reperi: *Antwort D. M. Luthers auf vier Fragen von der Tauffe. Die erste Frage: Ob man ein Kindlin, das noch nicht gar geboren were, sondern nurt das häuptlein, oder ein händlein, füßlein, &c., zur Welt bracht, teuffen solte? Von dieser Frage antvvortet D. M. L. Nein, dann es muß der Mensch zuvor gantz an diese Welt geboren seyn, ehe denn er in der Tauffe vviedergeboren vverde, aus Wasser und Geist, vvie Christus sagt Ioh. III. daß aber etliche das Widerspiel halten, (vvie auch S. Augustinus etvva hievon disputiret) ist dieser Irrthumb aus Aristotele gesponnen, der da lehret, das die gantze Seele sey in einem ieden Gliedmassen oder Stück des menschlichen Leibes.* Eadem in sententia fuisse IOANNEM BVGENHAGIVM Pomeranüm, ex his eius verbis (q) apparet: *Ia ich sage noch mehr auf dieselbige Zusag Christi (Matth. XIX, 14. Marc. X, 14. Luc. XVIII, 16.) das die Eltern oder auch andere, die darbey sind, mögen und sollen das Kindlein, vvenns noch in Mutter-Leibe ist, mit Danckſagung Christo befehlen, ins Gebet fassen, und ihm opffern oder zubringen, mit diesem oder dergleichen Gebett: Wir sagen dir Danck, lieber himmelischer Vater, das du uns gesegnet hast mit Leibesfrucht, lieber Herr Iesu Christe, laß dieses Kindlein dein sein, vvie du gesagt hast, lasset die Kindlein zu mir kommen, und vvehret ihnen nicht, denn solcher ist das Reich Gottes. Auf diese deine Zusage, bringen vvir zu dir dieses Kindlein, mit unsern Gebett, NB. wenns aber geboren wird, und uns in die Hände kommet, so vvollen vvir es dir auch gern bringen, und zutragen in der Tauffe, &c. das Gebet mag auch vvol mit andern Worten geschehen, ist nichts daran gelegen, vvenn es nur aus der Zusage Christi von dem Kindlein gebet, so sollen vvir gevviß glauben, Christus neme das Kind an, und sollens nicht befehlen dem heimlichen Gericht Gottes.* LVTHERI sententiam VITVS quoque DIETERICVS, quem MEGALANDER

(q) quæ inveni in Eius *tröstlichem und warhafftigem Unterricht von der Tauff, und den ungetaufften und ungebornen Kindern*, apud Bidembachium pag. 470. Consilior. Theolog.

DER ILLE Coburgi anno 1530. seligebat, ut esset sibi a confessionibus sacris (r), adsensu suo prorsus comprobavit, quin etiam libello suo, qui inscribitur, *Agend-Büchlein für die Pfarrherrn auf dem Land*, quique impressus est anno 1546. Francofurti ad Mœnum, inseruit. Verba eius hæc sunt: IX. *Wie man es soll halten, so ein Kindt Iachtauffet ist. So ein Kindt durch die Hebammen, oder sonst von iemand anders in der Not, Iachtaufft ist (welches doch nit eh soll geschehen, denn es sey vollkomenlich geborn, und von der Mutter ledig) da soll der Pfarrherr oder Kirchen-Diener sich fleißig befragen bey der Person, so das Kindlin getaufft hat. Zum ersten, ob das Kindlin vollkomenlich geboren geweßt sey, da sie es getaufft hat oder nit. Denn wo das Kindlin nit gar geboren, sondern nur mit einem Hendlin, Füßlin, oder sonst einem andern Theil des Leibs, sich sehen ließ, soll man es in keinen weg tauffen. Denn weil die Tauff ein Widergeburt ist, so kan das Kindt durch die Tauffe nit wider gborn vverden, es sey denn zuvor gantz und gar in die Welt geborn. Derhalb sollen die Pfarrherren und Kirchendiener in solchem die Hebammen unterrichten, vvo sie es thun hetten, daß sie es nimer thun, denn es ist unrecht. Sintemal die Tauff von dem HERREN Christo denen geordnet ist, die vollkomen an die Welt geborn sein. Die aber noch nit gborn sein, kan man nit Tauffen. Es sollen aber die, so in solchen nöten dabey sein, bedes Mutter und das Kindt, dem Allmächtigen Gott durch trevvliche Fürbitte befehlen, das Gott der Mutter helffen, und das Kindlin mit seinem Heiligen Geist bgnaden, es von sünden erledigen, und evvig ümb Christi Ihesu seins Sons vvillen, der für alle Sünder gestorben, vvölle selig machen. Solch Fürbitt vvissen vvir, daß Gott nit allein von uns fordert, sondern vvill ims auch gefallen lassen, und erhören, vvie das Exempel ausvveiset, von dem Gichtbrüchigen Mathei am IX. denn da sagt der Evangelist mit klaren Worten, der HERR*

(r) Vid. Rev. Martini Gruhlichii Annales Theologico-Ecclesiastici p. 57.

sahe iren glauben, und sprach zu dem Gichtbrüchtigen, sey getrost mein Sohn, deine Sünd sein dir vergeben. Ad cæteros instaurationis sacrorum socios & consortes, *Philippum Melanchthonem*, IVSTVM IONAM, GEORGIVM SPALATINVM, CASPAREM CRVCIGERVM, VRBANVM REGIVM, FRIDERICVM MYCONIVM, IVSTVM MENIVM, aliosque, quod attinet, ne unicus quidem ex illis dictæ opponi poterit Propositioni.

Propositio minor secunda.

§. XXIII. Secunda Propositio, quæ a dictæ rationis cum Quæstionis Subiecto comparatione oritur, hæc est: *Consvetudinem Pontificiam infantum ante &c., qui laudatissimis successere Restitutoribus, restitutæ doctrinæ cælestis sinceri integrique Professores, Doctores, Præcones omnes usque adhuc itidem reprobarunt ac reprobant.* Nominarunt ex iis THEOLOGI WOLAVIENSES duos celebres Ecclesiæ CHRISTI Doctores, IOANNEM GERHARDVM ac FRIDEMANNVM BECHMANNVM, illorumque etiam verba, luce clariora, apposuerunt. Additum Propositionis Prædicato signum universale postulat, ut plures cum eorum verbis producam. ERASMVS SARCERIVS, Superintendens Islebiensis, post deinde S. Ministerii Magdeburgensis Senior, Theologus pius, ut si quis alius, demortuus anno 1559., apud DEDEKENNVM (s) exposite & aperte docet, *daß die Kinder, so noch nicht völlig gebohren, und noch zum theil in Mutterleibe hangen, zum theil aber mit etzlichen Gliedern erscheinen, nicht sollen getaufft vverden. Denn es mag niemand durch die Tauff zur geistlichen VViedergeburt vviedergeboren vverden, der noch nicht auf die VVelt geboren ist. Und, vvie der heilige Augustinus sagt* ad Dardanum: *Es kan der nicht vviedergeboren vverden, der noch nicht geboren ist.* Item Isidorus *spricht* de Consecratione distinct. 4. Can. Qui in maternis, &c., *die Kinder, so noch seyn in den Leiben der Mütter, die können darumb mit den Müttern nicht getaufft vverden. Denn die noch nicht nach dem Adam geboren seyn, die mügen nach Christo nicht vviederumb geboren vverden. Denn von dem kan nicht gesaget vverden, daß er vviederumb geboren ist,*

(s) in Thesauro Consiliorum & Decision. Vol. I. P. II. Nr. 1. p. 22.

der

der noch nicht ist auf die VVelt geboren: ita Isidorus, cuius Latina verba Rev. Sarcerius convertit in Germanicum. M. CONRADVS PORTA, Pastor Islebiensis, in Pastorali LVTHERI primum anno 1582., cum HIERONYMI MENCELII, Mansfeldensis tunc Superintendentis, præfatione & commendatione, foras dato (t), ad quæstionem, *vvie soll sich ein Prediger halten, vvenn von im begeret vvürde ein Kindlein zu tauffen, das noch nicht gantz geboren, oder zur VVelt kommen vvere? Sol er dasselbige auch tauffen?* respondet, *Nein. Sintemal der Sohn Gottes, Iesus Christus selber spricht (*): Es sey denn, das iemand andervveit geboren vverde, durchs VVasser und den heiligen Geist, kan er nicht in das Reich Gottes kommen. Hierauf geziehet sich D. M. Luth. &c.* IOACHIMVS ZEHNERVS, in Consilio *von den jungen Kindlein, vvelche entvveder in Mutterleib, oder zum vvenigsten in vverender Geburt absterben, und demnach die heilige Tauff nicht erlangen mögen*, dato anno 1602, quo tempore is Pastor ac Superintendens Schleussingensis fuit, *den Iüden vvar ein gevvisser Termin*, ait (u), *nemlich der 8. Tag benennet, daran sie die Beschneidung administriren solten, &c. Also ist im Nevven Testament gevvisse maß gegeben, vvenn und vvo vvir die Tauffe gebrauchen sollen, denn sagt Christus, Ioh. III. Es sey denn, daß iemand ἄνωθεν (vviderumb von fornen anzufahen) oder von newem geboren vverde, kan er das Reich Gottes nicht sehen. Damit er gnugsam andeutet, diß Urtheil gelte allein denjenigen, vvelche einmal mit lebendigem Leibe vollkömlich auf die VVelt geboren vvorden, dervvegen die Unterlassung der Tauff bey ihnen für eine schändliche Nachläßigkeit oder muthvvillige vorsetzliche Verachtung zu halten sey. Hingegen aber, vvelche noch nicht vollkömlich geboren, denen geben diese Bedrävvung nichts zu schaffen, sintemal bey ihnen keine Verachtung, sondern die eusserste Noth und Unmüglichkeit im VVeg gestanden, daß sie der H. Tauff nicht theilhaff-*

(t) pag. 251. b.

(*) Iohan. 3.

(u) pag. 540. apud Bidembachium.

tig

tig vvorden. MATTHIAS HAFENREFFERVS, SS. Theologiæ Doctor & Professor Tubingensis, in Locis Theologicis anno 1605 emissis, *Non Privatio*, inquit (x), *sed Contemptus Sacramenti nocere potest. Qui igitur infantes in ipso adhuc materno utero*, vel partus difficultate *extinguuntur, Contemptus accusari non possunt. Quia Regeneratio, quæ in Baptismo fieri debuit*, primam carnis nativitatem *præsupponit.* SALOMO CODOMANVS Curiensis, Pastor ac Decanus Kützingensis, Consistoriique Brandenburgici Assessor, in Responso ad quæstionem, *Ob die ungetauffte, verstorbene Christen-Kinder selig oder verlohren?* de baptizatione in disceptationem cadente ita loquitur (y): *So vvill sichs auch ebener massen nicht thun lassen, daß man nur ein Stück oder Glied von dem ungebornen Menschen täuffe. Denn hiervon D. Lutherus recht saget*, Tom. 8. Ien. fol. 44. b. *Nondum natus renasci non potest: der noch nicht geboren ist, der kan nicht vvidergeboren vverden. Und das zeiget auch der Herr Christus selbs an, Iob. III. v. 3. da er vvill, es soll iemand auf ein nevves geboren vverden. VVie kan aber der auf ein nevves vvidergeboren vverden, der noch nicht von Mutterleib vollkömlich geboren? Ist demnach ja kein Kind zu täuffen, es sey denn zuvor vollkömlich auf die VVelt geboren.* PAVLI TARNOVII, SS. Theologiæ Doctoris ac Professoris Rostochiensis, naturæ lege anno 1633. functi, verba, in Dissertatione altera *de officio ministrorum Ecclesiæ*, hæc (z) sunt: *Quæritur, an nondum ex utero matris editi* (h. e., *in eo adhuc vel toti, vel ex parte existentes*) *infantes sint baptizandi? Respondeo, Negamus. Nemo enim renascitur, nisi primum nascatur, ut ex Ioh. III. v. 5. recte colligit Augustinus Epist. 57. ad Dardanum. Vide etiam Gratianum dist. 4. de consecrat. C. qui in maternis*, (it.) *Lutherum tom. 8. Ienensi germ. fol. 50. a.* Idem sensit BALTHASAR MENTZERVS, SS. Theol. Doctor ac Professor Marpurgensis olim, tunc Gissensis, cum in *Exegesi Augustanæ Confessionis*, edita anno 1621, scriberet (a): *Subiectum baptismi capax est solus homo, isque vivus, Matth. XXVIII. Marc. XVI. qui regenerari & renovari potest, Ioh. III. Tit. 3. &c. Monstra igitur exquisite sic dicta, in quibus*

(x) pag. 603.

(y) apud Bidemb. p. 510.

(z) Vid. Dedekennus l. c. p. 61.

(a) pag. 411.

bus vera humanitas non est, baptizari non debent, neque illi homines, de quibus certum non est, quod vivant, & quod toti in hunc mundum sint nati. In Disputationum Theologicarum in Academia Giessena publice habitarum, annoque 1625. secundum typis exscriptarum, Tomo quinto hæc leguntur (b): *Porro ad illud difficilius est respondere, quid faciendum sit, quando contingit, ut aliqua pars infantis primo egrediatur, sicut legimus Gen. XXXVIII., quod pariente Thamar in ipsa effusione infantum unus protulerit manum, in qua obstetrix ligaverit coccinum, dicens, iste egredietur prior, &c. - - - - - - - - - - - - - - Probamus ergo responsum, quod dedit B. Lutherus in Colloquiis convivalibus tit. de Baptism. ita habet: Wenn es sich zuträgt mit einem Weibe, daß das Kind nicht gentzlich mag von ihr kommen, sondern ein Arm,* & reliqua, quæ ob oculos supra proposui. LVDOVICVS DVNTE, Revaliensis quondam Verbi Divini minister, positam in *Decisionibus Casuum Conscientiæ*, tertium Lubecæ anno 1664. prelo subiectis, quæstionem, *An infantes nondum ex utero matris editi sint baptizandi?* verbis AVGVSTINI, *Nemo renascitur, nisi prius nascatur*, persoluit (c). Eandem adfert rationem WILH. LYSERVS, S.S. Theol. D. & Prof. Wittebergensis (*), item IOANNES CONRADVS DANNHAWERVS, S.S. Theol. Doctor, eiusque in Argentoratensi Academia Professor, Conventus Ecclesiastici Præses, &c. in Μυστηριοσοφία. *Subiectum Baptismi*, HIC inquit (d), *est II. homo vivus ac natus. Neque enim renasci potest, nisi natus fuerit.* IOANNES SCHRADERVS, Pastor Alvenslebiensis, anno 1670. in publicum dedit *Formulam Ecclesiasticam*, Ecclesiastis Augustanæ Confessioni addictis nuncupatam, in cuius Parte secunda Classis ceremoniarum decima octava, agens de Baptismo necessitatis, sequentia inter alia complexu suo continet (e): *Hier müssen wir auch der Noth-Tauffe gedencken, wie dieselbige so wol von der Hebammen, oder andern Weibern, als von den Predigern verrichtet werden könne. Dabey denn zu mercken, 1) daß die Frucht vorher gantz und vollkommen zur Welt gebohren und in der Menschen Hände kommen sey, ehe man ihr die Noth-Tauffe gebe.*

(b) pag. 277.

(c) pag. 467.

(*) in System. Thetico-Exeget. p. 1269.

(d) pag. 312.

(e) pag. 196.

Denn Christus und Paulus nennen die Tauffe eine Newgeburt oder Wiedergeburt Ioh. III. Tit. III. Soll nun die andere Geburt geschehen, und ein Mensch wiederumb new gebohren werden aus dem Wasser und Heiligen Geist, so wird in alle-wege erfordert, daß ein Kindlein erst recht vollständig von seiner Mutter gebohren werde. Und ob die VVeiber aus Unverstande ein halbgebohrnes Kind oder Glied davon getaufft hätten, ist es für keine Tauffe zu achten. GEORGIVS KOENIGIVS, SS. Theol. Doctor & quondam Altdorfii Noricorum Professor, qui hic præ aliis adiri meretur, in *Casibus Conscientiæ*, A. C. 1676. in publicum datis, suo hac de re sermoni finem hunc imponit (*): *Atque sic concludimus hunc Casum, infantem, quomodocunque in membris conspicuum, nondum tamen perfecte ex utero editum, baptizandum non esse, sed plenam eius nativitatem expectandam: ubi vero mos in aliqua orthodoxa Ecclesia invaluerit, ut infantes, solo capite ex alvo extantes, baptizati sint, istum morem, citra tamen scandulum eorum, qui talem modum sustinuerunt, ne videlicet se minus baptizatos esse suspicentur, abolendum, & Ecclesiam in ordinem, ab Augustino & Luthero frequentari solitum, posthac redigendam censemus, moti pio consilio Dn. Zachariæ Schilteri*, in Ἐξέτασιν Catech. Luth. p. 498. *Prolem, nisi plene in hanc lucem editam, Baptismo non esse tingendam*, docet (f) CHRISTIANVS etiam KORTHOLTVS, SS. Theol. Doctor Universitatisque Kiloniensis Pro-Cancellarius & Professor Primarius, in *Pastore Fideli*, sive, opusculo *de Officio Ministrorum Ecclesiæ*, edito post beatum Auctoris obitum Hamburgi anno 1696. ex Manuscripto. ADAMVS SCHERZERVS, Egranus, Theologus apud Lipsienses Primarius, *in Systemate Theologiæ*, A. C. 1685. secundum impresso (**), inter errores refert, *statuere, posse, si pars aliqua principalis extra appareat, eam baptizari.* ABRAHAM CALOVIVS, SS. Theol. Doctor ac Professor Primarius in Acad. Vitemb., Circulique Electoral. Saxon. Superint. General., in *Theologia positiua*, Vitembergæ anno 1682. divulgata, *neque* (baptizandi sunt,) inquit (g), *homines nondum nati, quia regenerari non possunt, nisi qui geniti vel nati iam sunt.* In *Sylloge quæstionum*

(*) p. 343.

(f) Capite V.

(**) Loco XIV. de Baptismo, §. 10. p. 385, 386.

(g). §. DCCCC XCIII. p. 479.

ſtionum practicarum de BAPTISMO, ſub præſidio B. IOHANNIS DEVTSCHMANNI, SS. Theol. Doctoris & Profeſſoris Vitembergenſis, anno 1689. publice ventilata, ad quæſtionem, *An baptizandi ſint, qui adhuc aliqua tantum ſui parte in lucem editi ſunt?* inter alia reſpondetur, *nemo renaſcitur, niſi primum naſcatur, & regeneratur nemo, nec regenerari poteſt, penes quem generatio non præceſſit, uti ſonat Canon Antiquitatis, ad ductum Ioh. III, 5. expreſſus; idcirco infantibus nondum plenarie editis, conferri Baptiſmus, Lavacrum illud Regenerationis, Tit. III, 5. non debet.* Non aliter exiſtimavit IOHANNES FRIDERICVS MAYERVS, Theologus ille Celeberrimus: namque in *Muſeo Miniſtri Eccleſiæ*, tertium anno 1703. Lipſiæ typis expreſſo, inter complura alia, digna, quæ legantur, plane ac diſerte ſcribit (h), *Hominem dum ſacro fonte tingendum ſiſtimus, & vivum & natum* & plene natum *intellectum volumus*, item, *Ac hominem denique plene perfecteque natum baptizari convenit.* Ita Paſtores inſtituit IO. MICH. LANGIVS quoque, SS. Theol. D. & Prof. P. O. Altdorf. (*), nec non & IOHANNES GÜNTHERVS, SS. Theol. tunc Licentiatus, ac ad ædem S. Nicolai Lipſienſem Diaconus, bonus ille adverſus Papiſticos errores IESV CHRISTI miles, in *Collegio Paſtorali*, ſecundum anno 1707. Lipſiæ impreſſo, ubi (i), *der Prieſter muß*, ait, *den VVeh-Müttern feſt einbinden, daß ſie nicht ohne die höchſte Noth die Noth-Tauffe verrichten ſollen, und nicht eher, biß das Kind völlig gebohren.* IOHANNES FRANCISCVS BVDDEVS, SS. Theol. Doctor ac in Salana Profeſſor, in *Inſtitutionibus Theologiæ moralis*, Lipſiæ anno 1712 prelo excuſis, baptizationem, quæ in quæſtione eſt, itidem reiecit (k). VENERABILES AVCTORES *Relationum innoxiarum* dogma Papiſticum, *wenn nur die Hand eines Kindes gebohren iſt, ſoll man ſie tauffen*, parochis Romano-Catholicis in Martini Bernardi Iuſt a Fridenfels Parochiali Miſnenſi, anno 1716. edito, denuo inculcatum, appellant *eine wunderliche Regul* (l). SALOM. DEYLINGIVS, SS. Theol. D. P. P. & Sup. Lipſ. in *Inſtitutionibus Prudentiæ Paſtoralis*, Lipſiæ anno, quo iam vivitur, divulgatis, Non debet baptizari infans, ait (**), niſi vivus & plene

(h) P. III. cap. II. §. 2. pag. 993.

(*) in Inſtitutionib. Paſtoral. an. 1707. in publicum datis, pag. 401. qu. CXXV.

(i) Num. XIX. pag. 130.

(k) Parte III. cap. 3. §. 69. p. 807.

(l) an. 1720. p. 38.

(**) p. 233.

ac perfecte natus, atque in lucem editus, &c. Neque vero e veris sincerisque Ecclesiæ nostræ doctoribus, hoc est, qui Interimistæ, Syncretistæ, Indifferentistæ non fuerunt aut sunt, citari poterit, qui aliter senserit & docuerit.

Propositio minor tertia.

§. XXIV. Sequitur minor Propositio tertia: *Consvetudinem Papisticam infantum ante &c. orthodoxus Magistratus lege cavit, nec usquam suis permittit.* Etenim interdixit eam IVS ECCLESIASTICVM SAXONICVM, cuius verba excerpsere ac protulere iam Maxime Reverendi Theologi Wolavienses; interdixerunt CONSTITVTIONES cœtuum emendatorum ECCLESIASTICAE pleniores, insigniores reliquæ. In CONSTITVTIONE SAXONIAE INFERIORIS mos iste serio his prohibetur verbis (m): *Zum fünfften muß und soll für allen Dingen in fleißiger acht und Gedechtniß gehalten werden, daß man, wie etwa im leidigen Pabstthum geschehen, die Kinder so noch im Mutterleibe seyn, umb keiner Gefahr willen; wie auch die, so nicht gar und gentzlichen von Mutterleibe auf die Welt kommen und gebohren seyn, sondern nur etwa ein Arm oder Kopff, oder ein, oder mehr Glieder allein herfür kommen seyn, mit nichte täuffen solle, - VVas aber in den Fällen zu handeln, und man sich zu trösten habe, wann Gott der Allmächtige die Frucht und Mutter nicht scheidet, sondern das Kind nicht gäntzlich uns in die Hände gegeben, noch auf die VVelt gebohren wird, darvon sol nachmals auch Bericht folgen.* CONSTITVTIO BRVNSVICENSIS de ritu illo intermittendo sic loquitur (n): *Zum andern, daß sie in Zeit der Noth, da es mit der Geburt schwerlich felt, und auch zu befürchten, daß die Frucht nicht lebendig zu der VVelt kommen möchte, dennoch mit der Noth-Tauffe verziehen sollen, so lange bis das Kindlein gantz und gar gebohren, und in die Hände der Menschen gekommen, denn soll die ander Geburt geschehen, und der Mensch wiederumb neu geboren werden, aus dem VVasser und H. Geiste, so muß die erste Geburt auch vollkommen seyn,*

(m) fol. 171.

(n) fol. 61, 62.

seyn, und der Mensch gantz auf die VVelt geboren seyn. Darumb soll auch in solcher Noth kein Theil des Leibes getaufft werden, sondern solche Leibesfrucht, mit einem Christlichen und gläubigen Gebet, Gott befohlen, und im Nahmen Christi geberen werden, Gott wolle Gnade verleihen, daß solche gegenwertige Frucht in ihre Hände gegeben werden, und also nach seinem Befehl, und auf seine gnadenreiche Zusage, die H. Tauffe empfangen müge, wo nicht, das dennoch der barmherzige lieber Vater, sich der lieben Frucht in Gnaden annemen wolle, üm seines geliebten Sohns Christi willen, Amen. In Libro alio Liturgico, qui Helmstadii anno 1615. impressus & hoc titulo prænotatus est, *Kirchen-Ordnung* IVLII, *Herzogen zu Braunschweig und Lüneburg, &c., in unserm Fürstenthum Braunschweig VVolffenbütlischen Theils*, cuiusque Wolaviensis etiam Theologi, at alium in finem, meminere (o), ostensis Pædobaptismi fundamento ac necessitate, hæc adiiciuntur (p), *dis aber verstehen wir von den gebornen Kindern, die uns Gott in unsere Hende giebt, denn wie die Pastores über die ungeborne Kinderlein, oder so todt geboren werden, die Eltern trösten sollen, vverden sie vvissen zu nehmen aus Lutheri und Pomerani davon ausgegangenen Büchlein.* In Vratislaviensi obstetricibus ante annos centum aut plus eo data Præscriptione hæc leguntur (*): *Die Noth-Tauffe soll bey keinem Kinde vorgenommen vverden, das noch nicht vollkommen gebohren, und von seiner Mutter gelöset.* In Ordinationis Ecclesiasticæ, quæ inscribitur, *Fürstliche Ernestinische erneuerte Ordnungen*, Parte secunda, anno 1685. edita, Hildburghusiæ, habetur Institutio, eaque præsertim etiam pro obstetricibus, in Gothano Principatu constitutis, inde ab anno 1658. data; cuius paragraphus trigesima tertia persequitur (q) ea, quæ *post nativitatem* obstetrici pro infante facienda sunt: nimirum, *Nach der Geburt soll sie (die VVehemutter) Mutter und Kind gebührlich in acht nehmen, und zvvar das Kind belangende, dasselbe*

(o) §. 5. scripti sui.

(p) in cap. de S. Baptismo, non procul a fine.

(*) paragr. 44.

(q) pag. 399, 400.

selbe in vvarme Tücher empfahen und behalten, - - - - - auch vvol zusehen, ob es lebendig oder todt, - - - - und alle Mittel anvvenden, daß es vvieder zu recht komme, und ermundert vverde, da auch die Gefahr groß, solches unverzüglich, ob es schon noch nicht abgelöset vväre (scilicet, *von der Nabel-Schnur,) noth-tauffen.* In Ordinatione Ecclesiastica, Coburgi anno 1713. denuo typis exscripta, cuius hæc est inscriptio, *Ordnung, vvie es in des Durchlauchtigen, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn IOHANN CASIMIRS, Hertzogen zu Sachsen, &c. Fürstenthum und Landen, Orts Francken und Thüringen, in der Kirchen mit Lehr, Ceremonien, - - - - dann im Fürstl. Consistorio - - - - auch im Fürstl. Gymnasio so vvol Land-und Particular-Schulen, gehalten vverden solle, anietzo aus Hochfürstl. Permission, - - - - vvieder aufgelegt;* in hac, inquam, Ordinatione (r) controversa baptizatio his interdicitur verbis: *Es sollen aber die Kirchen-Diener die VVehe-Mütter aufs fleißigste unterrichten, Erstlich, daß sie kein Kind, so noch in Mutterleibe, und nicht gantz in die Welt gebohren ist, noth-tauffen. Denn nachdem die heilige Tauffe ein Sacrament der Wiedergeburt ist, erfordert die Natur dieses Sacraments, daß das Kind, so das Sacrament der Wiedergebuhrt empfahen soll, zuvorn an die Welt gebohren sey: Iedoch sollen die, so in solchen Nöthen darbey seyn, beyde die Mutter und das Kind dem Allmächtigen Gott durch ihre treuliche Vorbitt befehlen, daß Gott der Mutter helffe, und das Kindlein ihm gnädig befohlen seyn lasse.* Eadem verba reperis in Ducis Saxoniæ ac Electoris, AVGVSTI PII, Constitutione Ecclesiastica, Vitembergæ anno 1618. edita (s), itemque in CODICE AVGVSTEO, sive, *Corpore Iuris Saxonici recens aucto* (t). Ad Ducatum Magdeburgensem quod spectat, reperi quidem in eius antiquius emisso Libro Liturgico hæc tantummodo verba: *die Pfarrherr sollen das Volck in den Predigten unterrichten, daß sie nicht leicht-*

(r) lib. II. cap. 15. §. 1. p. 194.

(s) pag. cccix.

(t) P. II. lib. I. cap. I. Artic. IV. generali.

leichtlich zu der Nottauff eilen sollen: neque pluribus res hæc in HENRICI PII, Saxoniæ Ducis, Liturgia, anno 1540. Lipsiæ emissa, edisseritur (u). Verum duo his præcipi verbis, baptizandos extra ordinem, sive, a femina, esse primo non nisi ex toto prognatos, secundo non nisi extrema urgente necessitate, docet eadem HENRICI Liturgia, AVGVSTI PII iussu ab aliquot Theologis recognita atque adaucta (x), &, quantum ad Ritualem Ecclesiarum Ducatus Magdeburgensis Librum, D. *Philippus Hanius*, Magdeburgensis templi cathedralis quondam Ecclesiastes, in libro, anno 1692. quintum typis expresso, cuius hæc est inscriptio, *Consilia, sive, Iudicia Theologica, & Requisita Ministerii totius Ecclesiæ, Neu verbessert-und vollständiges Kirchen-Buch D. Philip Hanen - - - -, darinnen die gewöhnliche Ceremonen - - - - welche bey Christlichen Kindtauffen - - - - in den Kirchen des Ertz-Stiffts Magdeburg, und in allen andern Christlichen Versamlungen üblich seyn - - - -* (y). In Ordinatione Ecclesiastica, pro Ecclesiis Pomeraniæ conscripta, quæ inscribitur, *Kirchen-Ordnung im Lande zu Pommern durch die - - - Fürsten - - - Barnim und Philippen - - - - - - anfänglich auf dem Land-Tage zu Treptow ann 1535. geschlossen, und ferner durch die - - - - Fürsten - - - - - - - - auf Rath der Theologen und Bewilligung der Land-Stände erneuert und vermehret, gedruckt anno 1690., Anietzo aber mit Consens der Königl. Schwedischen Hochpreißl. Regierung aufs neue zum Druck befördert; Stralsund und Greiffswald* an. 1731.; in hac, inquam, Ordinatione scripta hæc sunt (z): *Wenn aber das Kind zur Welt kömmt, und die Noth erfodert, daß es GOTT getaufft werde, sollen die Frauen mit der Noth-Tauffe so lange verziehen, bis das Kindlein gantz zur Welt gebohren, und in der Menschen Hände gekommen ist; darum sollen sie nicht tauffen im Mutter-Leibe, noch ein Gliedmaß allein, wie etliche in der Noth-Tauffe der Mutter Leib mit Wasser begiessen, und die Frucht in Mutter-Leibe tauffen, oder eine Hand, oder ander Gliedmaß, so herfür kömmt, tauffen; solches ist unrecht,*

(u) in Cap. de Baptismo necessitatis, pag. VIII. b.

(x) pag. cit.

(y) p. 59. 60. Partis I.

(z) pag. 102.

denn

denn was nicht gantz zur Welt gebohren ist, kan nicht anderweits durch Wasser und Geist vviedergebohren vverden. In dem Fall sollen die Frauen das Kind Gott befehlen, mit solchen oder dergleichen Worten, - - - - - - - - - - - ; item (*), *sonderlich aber soll der Priester im Fragen auf die Stücke acht geben, Ob das Kind vor der Noth-Tauffe auch gantz zur Welt gebohren gevvesen sey? &c.* Eadem in Mecklenburgicis vetita esse Ecclesiis, memorat B. D. IOANNES FECHTIVS in *Instructione pastorali*, anno 1722. secundum edita. *Non debere baptizari infantem*, inquit (aa), *nisi plene sit in lucem editus, multo minus matrem gravidam loco infantis, ordinationes ecclesiasticæ Megapolenses monent.* Vetuit ritum controversum ALBERTVS SENIOR quoque, Marchio Brandenburgicus, &c., in Constitutione Ecclesiastica, Regiomontii anno 1554. impressa; ubi hæc reperi (bb): *Dievveil bißher in der Christlichen Gemein, ein löbliche und vvohlgegründte Gevvohnheit gehalten ist, daß alle Christliche Personen, und sonderlich die Hebammen (oder Alten, vvie mans dis Lands nennet,) in Ansehung, daß auch die VVeiber Miterben des Reichs Christi sind, und die Not der gemeinen Regel und Ordnung nicht untervvürfflich ist, zur Zeit der Not in Abvvesen der Menner, die Kindlein getaufft haben, vvelches man Nottauffe genennet hat, so vvöllen vvir dieselben auch nicht aufheben, sondern in irer Krafft bleiben. Es sollen aber die Kirchen-Diener die Hebammen auffs fleißigst unterrichten. Erstlich daß sie kein Kindt, so noch im Mutterleibe, und nicht gantz an die VVelt geborn ist, Nottäuffen sollen, denn nachdem die Tauff ein Sacrament der VViedergeburt ist, &c.* Verba hæc, *Es sollen aber &c.*, sua etiam fecit (cc) Ordinatio Hanoviensis, anno 1659. Piceliano prelo excusa, prænotataque hoc titulo, *Hanavvische vermehrte Kirchen- und Schul-Ordnung für vvahr-Evangelische Kirchen-Diener nicht allein innerhalb, sondern auch ausserhalb Hanavvischer Herrschafft.* Concinit GEORGII ERNESTI,

(*) pag. 109.

(aa) Cap. XII. §. V. p. 113.

(bb) P. II. p. 8.

(cc) P. I. Tit. II. p. 18.

Ernesti, Comitis Principis Hennebergici, Constitutio, primum anno 1580., novissime Schleussingæ, anno 1713. typis exscripta, utpote quæ de re controversa sic loquitur (dd): *VVenn das Kindlein in die Kirche gebracht, soll der Pfarrherr oder Kirchen-Diener mit Fleiß bey der Person, so das Kindlein (in der Noth) getaufft, und andern so dabey gevvesen, und zur Hand zu bringen, sich erkundigen: Die erste Frage: Ob das Kindlein, do es getaufft, vollkömmlich gebohren gevvesen sey oder nicht? Denn vvo dasselbige nicht vollkömmlich gebohren, sondern nur mit einem Händlein oder Füßlein, oder anderm Theil des Leibs, sich sehen lassen, hätte es keinesvveges getaufft vverden sollen, dievveil die Tauffe eine VViedergeburt ist, und kein Kind durch die Tauffe vviedergebohren vverden kan, es sey denn zuvor gantz und gar vollkommen, und mit Leben, vvie gering dasselbe auch seyn mag, in diese VVelt gebohren.* Neque ullius loci, sive in Germania, sive extra eam, ille situs sit, orthodoxus Magistratus nominari poterit, qui fidei suæ sociis consvetudinem Pontificiam sciens prudensque permittat. (dd) p. 49. f.

§. XXV. Restat quarta Propositio minor, *Consvetudinem Papisticam infantum ante &c. cœtus emendati omnes ac singuli, usque a dictæ tempore restitutionis, intermiserunt, & etiam nunc intermittunt.* Negari hæc Propositio, tribus præcedentibus concessis, non potest. Num verisimile est, ritum, quem & sanæ Instauratores doctrinæ omnes, & eius Propagatores omnes, & orthodoxus Magistratus omnis, repudiarunt ac interdixerunt, hodieque repudiant atque interdicunt, Ecclesiæ ullius particularis Pastorem & populum scienter tenuisse aut tenere? Veritate itaque fundari Propositio hæc usque eo existimanda est, donec ei adversum proferatur exemplum. Si qua femina aliquando infantem ante, quam vere natus est, baptismali aqua, fortassis rei inscitia, consperserit, istud huc neutiquam pertinere, nullus non intelliget, quum iam sermo non sit de una & altera persona, sed de integris cœtibus. Neque Interimistica tempora perturbatissima idoneum suppeditare exemplum poterunt. Iam, utris- *Quarta Propositio minor.*

que Præmissis plane probatis, dubitationem amplius habere nequit derivata inde, & §. VIII. exhibita, Conclusio.

RATIO SECVNDA.

§. XXVI. Satis de primo Theologorum Wolaviensium argumento: progredior ad secundum, quod quamvis primum prægravet, brevius tamen poterit exponi. Aiunt laudati Theologi: 2. *diß Verbott unserer Kirchen gründet sich auf die Schrifft-Stellen Tit. III. v. 5. Ioannis III. v. 7. Aus vvelchen man also folgert: &c.* Huius argumenti Propositio maior hæc est: *Quæcunque consvetudo Pontificia cum Scriptura S., ideoque cum Divina ordinatione, pugnat, illam neque adsciscere & servare Augustanæ addictis Confessioni integrum est, neque inducendi ius habet Magistratus Romano-Catholicus.* Est Propositio hæc ex numero earum, quæ sunt, ut *Aristoteles* loquitur (ee), de extremo coniuncto, duo enim de Subiecto enunciantur: quorum utrumque seorsum cum medio termino disponam. Existunt hinc duæ Propositiones, quarum prior est, *Quæcunque consvetudo Pontificia cum Scriptura S. ideoque cum Divina ordinatione, pugnat, illam adsciscere & servare Augustanæ addictis Confessioni integrum non est.* Pendet huius veritas Propositionis ex eo, quod, qui Augustanæ adhærescunt Confessioni, ullam aliam Religionis regulam, nisi SCRIPTVRAM S. non habent. Sequantur alii Pontificem Romanum, aut Patrum, qui intra quinque, a nato CHRISTO proxima secula, vixere, consensum, aut humanæ magisterium rationis, aut revelationes ac visiones: nos *unicam* diviniorem scripturam, quæ sola nunquam fallit, quippe divinitus inspirata (ff), quæ perfecte, plene, & sufficienter continet omnia ad fidem vitamque Christianam & cultum divinum scitu necessaria (gg), quæque omnibus Principii cognoscendi requisitis prædita est, & ad quam solam remittimur (hh), pro fidei, morum ac cultus divini norma agnoscimus. *Quæcunque* igitur *consvetudo Pontificia cum* SCRIPTVRA S. *ideoque cum Divina ordinatione, pugnat, illam adsciscere & seruare Augustanæ addictis Confessioni, integrum non est. Neque istiusmodi consvetudinem in cœtus emendatos, sibi obnoxios, inducendi ius habet Pontificius Magistratus*; quæ est Propositio posterior. Etenim inducens non se ipsum tantummodo gravissimo peccato alligat, quandoquidem in illorum, de

Propositio maior.

(ee) lib. de Interpr. c. 10.

(ff) 2. Pet. 1, 21.

(gg) Deut. 4, 2. 2. Tim. 3, 15, 16, 17.

(hh) Esa. 8, 20. Luc. 16, 29.

de quibus Mundi SALVATOR queritur (ii), *Iustificatur*, hoc est, reprehenditur, aut quasi in ius vocatur, immo condemnatur, *a filiis suis Sapientia*, quique *cum DEO dimicantes* deprehenduntur (kk), numerum pervenit, sed efficit quoque, ut alii haud levius peccent, nempe quotquot minacibus eius verbis concedunt, quum hi adversus certam agant conscientiam. Cæterum mirari noli, qui animo, Pontificiis erroribus non præoccupato, hæc legis, me Propositionibus, quarum veritas ita claret, ut ipsius solis radiis scriptas eas esse, iure meritoque dixeris, nonnihil fuisse immoratum. Namque annon ex adversariorum scriptis aut conversatione animadvertisti & didicisti, apud illorum plerosque præiudicia, e. g. humanæ auctoritatis, receptæ semel sententiæ, multitudinis asseclarum eius, antiquitatis, item, odii, intellectum ita pro dolor! obnubilasse, immo excæcasse, tantamque præterea voluntatis pervicaciam idola ista (ll) comitari solere, ut apertissimas & evidentissimas negare ac impugnare veritates non erubescant? Faxit DEVS TRIVNVS, soli ut EIVS Verbo scripto, tanquam lucernæ splendenti tenebricoso in loco, attendere illi incipiant, usque dum illucescat dies, & Phosphorus in illorum cordibus emergat (mm)!

(ii) Matth. 11, 19.

(kk) Act. 5, 39.

(ll) ita vocat præiudicia Baco de Verulamio, lib. I. Novi Organi, Aphor. 41.

(mm) ex 2. Pet. I, 19.

§. XXVII. Age, nunc videamus *Argumenti secundi* Propositionem minorem, *Consvetudo Papistica infantum, ante baptizandorum, quam matris ex utero emersere, cum Scriptura S., ideoque cum Divina ordinatione, pugnat.* Hanc, cum THEOLOGIS supra nominatis, & cum antea citatarum ORDINATIONVM ECCLESIASTICARVM Conditoribus & Effectoribus, ex Ioh. III. & Tit. III. rectissime probant THEOLOGI WOLAVIENSES. Ad primum locum quod pertinet, dicit SALVATOR Nicodemo (nn), Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, secundum Vulgatam, *Amen, amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; item (oo), dicta facturus dilucidiora, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, id est, secundum Vulgatam iterum, *Amen, amen dico tibi, Nisi*

Propositio minor.

(nn) v. 3.

(oo) v. 5.

quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; denique (pp), Μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι· Δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν, sive, ut rursus Vulgatus vertit, *Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo.* Docetur his perspicue, sacrosanctum Baptismum esse actionem eiusmodi, quæ *denuo* generet.

(pp) v. 7.

Locum Ioh. III, 5. Pontificii omnes de Baptismo fluminis accipiunt.

§. XXVIII. Equidem *primo* permulti sunt, qui, de primo Novi Testamenti Sacramento, seu Baptismo fluminis, sermonem hic esse, inficiantur; videlicet Reformati, Sociniani, Arminiani, Fanatici, anticipatæ mentibus opinioni huic, *Baptismo externo, sive aquæ, regenerandi aut renovandi vim haudquaquam inesse*, concorditer servientes. De Reformatis *Dionysius Petavius*, in tractatu *de Ecclesiastica Hierarchia* (qq) meminit sequentibus verbis: *Calvinianæ sectæ hæretici illa Christi Domini verba, Nisi quis renatus fuerit ex aqua - - - -, negant, ad Sacramentum pertinere Baptismi, sed tropice aquam illic usurpari, sentiunt:* nec non etiam his (rr), *Aquam item ad Sacramentum esse baptismi necessariam, si Calvinum, Bucerum, & illius sectæ complures audimus, ex Scriptura non liquet. Qui enim disertus ad eam sententiam videtur in Ioannis Evangelio locus, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, - - - -, vel de Sacramento ipso baptismi nullo modo intelligendus est, sed de interiori, ac spiritali renovatione, ut ambo illi sentiunt, quos nominavi, hæresis antesignani, vel, ut Bezæ placet, peræque probabiliter aliorsum trahi, quam ad Sacramentum potest.* Conferantur e Nostris *Kœhlerus* (ss), D. Quenstedt (tt), D. Aepinus (uu). Productis ibi Calvinianis addo *Campegium Vitringam*, qui in libro, *Fürbild der wahren Gottseligkeit*, Bremæ, anno 1717. emisso, verba, *ex aqua*, ita interpretatur (xx), *ex* Christi *obedientia.* Socinianis hæc aqua unum & idem est, atque poenitentia (yy). Ex Arminianis, dicto loco de Baptismo aquae locutum fuisse Christum, *Simon Episcopius* negat (zz), præcipuus sectæ istius Parastata, Os *Arminianorum* vulgo dictus. De idem sentientibus Fanaticis consulatur iterum D. Aepinus (a). Nominatis ibi adiicio *Crautwaldum*, *Schwenckfeldii* in deliriis consortem, opinatum quippe quæ, esse inter Reformatos, qui hic paullo rectius sentiant,

(qq) lib. I. c. I. §. 4.

(rr) lib. I. c. III. §. 3.

(ss) in Concionib. Baptismal., conc. de h. l.

(tt) P. IV. System. Theol. p. 112.

(uu) in Disp. de Aqua Baptismi, in dicto Christi Ioh. III, 5. intelligenda, §. II. cui tamen iunge §. III. aliquot docet exemplis. (xx) pag. 31. (yy) Quenst. l. c. p. 123. b. coll. pag. 112. b.

(zz) Tom. II. Oper. p. 159. (a) a p. 7. Disp. cit.

tum (b), *aquæ* vocem ſonare CHRISTVM; *Chriſtophorum Sebachium*, perhibentem (c), loco dicto ac reliquis illis, quæ nos de egregia Baptiſmi fluminis utilitate certiores faciunt, agi duntaxat de Baptiſmo Flaminis, *von der Geiſtes-Tauffe*; *Gementem Berrhoënſem*, qui *Salomo Bachius* eſt germano nomine, Iuris quondam Practicus, quique in ſcripto ſuo ἀνεκδότῳ, a Revv. Eccleſiaſtis Dantiſcanis, anno 1729. refutato & diluto, CHRISTVM l. c. non de aqua naturali, ſed ſpirituali, hoc eſt, de SPIRITV S., verba facere, utique figura, quam *Hendiadyn* appellant, ſtatuit (d). Verum enimvero quum mihi ſolis cum Pontificiis iam ſit negotium, hi autem omnes prædicta Salvatoris verba de Baptiſmo aquæ accipiant, id quod prodidere *Stapletonus* atque *Petavius*, hic verbis ſequentibus (e), *de Baptiſmi Sacramento Catholici omnes accipiunt, ut & veteres omnes, præſertim qui adverſus Pelagianos ſcripſerunt*, ille, contra *Calvini* παρερμηνείαν diſſerens, verbis his (f), *hæc verba* (Ioh. III,5.) *de baptiſmo Evangelico ad literam intelligi debere, quia ipſum introitum regni* DEI *& primum ingreſſum in Eccleſiam novam docere Nicodemum Chriſtus voluit, tota ſemper Eccleſia indubitate hactenus intellexit*, potiſſimumque Tridentini Concilii ſecundus de Baptiſmo Canon condocet: demonſtraturus, CHRISTO de prima porta gratiæ, Baptiſmo fluminis, in textu illo IOANNIS utique eſſe ſermonem, cæteras interpretationes omnes eſſe viro docto ac probo indignas ſacroſancti textus depravationes, extra oleas vagari non immerito arguerer, quamvis illa ſint quovis veriſſimo veriora. Evolve, qui certior de utroque fieri deſideras, quantum ad prius, B. D. QVENSTEDTII *Syſtema Theologicum* (g), at de utroque D. AEPINI laudatam Diſſertationem.

(b) Adi Flacii Lib. *von der H. Schrifft und ihrer Würckung wieder Schwenckfeld*, ed. 1553.

(c) Vid. eius *Send-Brieff an alle Kinder Gottes von der äuſſern Waſſer-Tauffe*, ed. 1712.

(d) p. 46.

(e) Dogmatum Theologic. Tomo IV. in Diatr. de Poteſt. Conſecrandi &c. cap. V. p. 215. a.

(f) Antidotorum Evangelic. P. II. in Evang. Ioh. III, 5.

(g) P. IV. p. 112.

§. XXIX. *Secundo* reperiuntur non modo, qui vocem ἄνωθεν *deſuper*, *e cælis*, Latine reddiderunt, verum etiam qui, ut, ſic eam eſſe reddendam, nonnullis firment rationibus, operam dedere. Priorum in numero ſunt Arias Montanus, Phil. Iac. Spenerus (h), Petrus Sigiſm. Papenius (i), Cyrillus, Theophylactus, Eraſmus, Tigurini, aliique. In poſteriores reponendus eſt Lightfootus (k). Verum vero, quantum ad priores, ipſe *Lightfootus* tradit, omnes fere diſſentire, ac arbitrari, ἄνωθεν hic valere

Vox ἄνωθεν *d. l. non vertenda eſt* deſuper, e cælis, *ſed* iterum, denuo.

(h) pag. 699. Doctrinæ Fidei.

(i) in Lexico in Codicem S. Iohannis.

Novi Teſtam. p. 65, 66. (k) Vid. Eius Horæ H. & T. in v. 3. capitis III.

lere πάλιν, *iterum, denuo.* B. D. CHEMNITIVS quoque, *Et hanc significationem* (a prima origine, rursus,) inquit (l), *plerique interpretes sequuntur, qui reddunt,* denuo *nasci.* Transferunt sic Metaphrastæ Orientales, Syrus, Arabs, Æthiops, Persa, item Vulgatus, Zonaras (*), Alexius Aristenus (**), Flacius Illyricus, Beza, Castalio, Pagninus, Vatablus, Grotius, Casaubonus, Nonnus, Euthymius, Augustinus, Nazianzenus, Severus Antiochenus, LVTHERVS, Cornelius a Lapide, Tremellius, Hier. Kromayerus (m), Seb. Schmidius, Io. Christoph. Wolfius, cuius verba haec sunt (*): *Itaque recte istam notionem* (denuo, iterum,) *hic tuentur Gatakerus in Cinno p. 50. Svicerus Thesauri Tom. I. p. 397. Alex. Morus ad h. l. p. 75. Io. Boisius in Collat. p. 287. Cocceius l. c. p. 462. & novissime Lampius, apud quos etiam alia huius significationis exempla inveneris.* Addantur Theologi §. 22. & 23. commemorati, atque ex §. 24. Ordinationes Ecclesiasticae. Quocirca prioribus opponi potest Canon Logicus, *Quod maior pars* (suos habens interpretum nobilissimos ac clarissimos,) *definit, id* (probabiliter) *prævalet:* posterioribus autem, a quibus speciosæ aliquot rationes, cur paucorum versio illa versioni maioris partis antehabenda sit, ostenduntur, respondeo, maioris partis translationem firmioribus suffulciri rationibus. Primum enim verba SALVATORIS, a SPIRITV SANCTO, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, conversa, ipse *Nicodemus* haud aliter, atque ut LVTHERVS & caeteri illa Graeca acceperunt, intellexit. Sat planum hoc faciunt sequentia B. D. CALOVII verba (n): *vel nova & iterata nativitas - - - - - - - hic intelligitur. Nec aliter a Nicodemo intellecta fuit* (vox ἄνωθεν, aut potius vox, versa ἄνωθεν,) *quærente, quo pacto iterum nasci possit, unde Maldonatus colligit Christum Syriace loquentem, verbo minime ambiguo usum fuisse, quod* denuo, *non* desuper *significaret. Nam si Christus dixisset, nisi quis renatus fuerit desuper, satis intellexisset Nicodemus eum non locutum esse de carnali generatione.* B. D. CHEMNITIVS quoque scribit (o), *Et quod Nicodemus adverbium* ἄνωθεν (aut potius dictionem, versam ἄνωθεν,) *in hac significatione* (rursus, denuo,) *acceperit, responsio eius indicat, inquit enim, Quomodo homo potest* δεύτερον *iterum nasci:* ex quibus Nicodemi verbis, ἄνωθεν hic valere *denuo*, ratiocinatus etiam

(l) in Harmoniæ Evangel. lib. II. p. 350. b.

(*) in Beveregii Συνοδικῶν Tomo I. p. 31. E.

(**) ibid. p. 32. a.

(m) in Theologia Positivo-Polemica p. 838.

(*) in Curis Philologicis & criticis in Evangelia & Actus Apost. ad h. l.

(n) quæ habentur in Biblior. Illustr. N. T. Tomo I. p. 692. a.

(o) in Harmonia Evangel. lib. II. p. 350. b.

etiam est *Cornelius a Lapide*, scribens (p), *Secundo, ἄνωθεν significat denuo, iterum, & ita hic accipiendum esse, liquet ex responsione Nicodemi, vers. 4.* Si quis autumet, ex hac necessario istud non sequi, ex eo quaero, an ergo Nicodemus ratione hac indigna argumentatus ei videatur, Quisquis hominum debet caelitus generari, hic matris in uterum iterum introeat oportet, atqui nullus hominum matris in uterum iterum introire potest, ergo &c.? Iam quo sensu voculam, versam *ἄνωθεν*, *Nicodemus* accepit, eodem haud dubie CHRISTVS illam adhibuit: aliter dicendum foret, aut CHRISTVM lingva, quam ex toto cognitam non habuerit *Nicodemus*, fuisse usum, aut primatem hunc virum, ac doctorem Iudaicum, tam indocilem tardumque fuisse, ut saepe ne verba quidem colloquentium adsequi potuerit, aut CHRISTO se auditorem non sat attentum praebuisse eum, qui tamen maxima pernoscendae ex sermone CHRISTI viae salutis flagrabat, ardebat cupiditate. Secundo Apostolo PETRO (q) phrasis SALVATORIS, *γεννηθῆναι ἄνωθεν*, idem est, quod *ἀναγεννηθῆναι*, & S. PAVLO idem, quod *παλιγγενεσία* (r). Conferatur B. D. CHEMNITIVS (s); qui duobus illis argumentis gravissimis ac firmissimis non immerito hoc tertium, quo & *Cornelius a Lapide utitur* (t), *Syrum etiam*, cuius paulo ante iam memini, *ἄνωθεν expressisse* מן דריש *a capite, ab initio, de novo*, adiungit. Nam tametsi illa hoc gravitate non aequiparat: haudquaquam tamen est nullius ponderis, quoniam *versionis Syriacae* N. T. *magna est apud Christianos autoritas, adeo ut eam plerique vel Apostolo vel Apostolico cuidam viro tribuant, unde passim in locis obscurioribus commendatur* (u). Accedit, quod alia quoque dentur Novi Testamenti Graeci loca (x), in quibus vocabulum *ἄνωθεν* signat *iterationem*, item, quod, quum *Vulgatus*, ut antea dixi, cum LVTHERO faciat, mihi non facile oblocuturus sit Pontificiorum, quibuscum iam disputo, aliquis, sicut nec Wolaviensium impugnator litterarum de dubia vocis illius significatione WOLAVIENSES ullo verbo commonuit. Reperio esse, qui vtramque significationem coniungunt, verum contra Hermenevticam hanc regulam, *Exegeta in explicatione cuiuslibet*

(p) in Commentario ad h. l. pag. 289. a. Tomi II.

(q) 1. Pet. I, 3, 23.

(r) Tit. III. 5.

(s) l. c.

(t) l. c.

(u) Sunt verba B. D. Aug. Pfeifferi, in Critica S. p. 288. Add. Waltoni Prolegomena in Bibl. Polygl. p. 90. b. & 92. a, b. it. Testimonia CLL. Virorum subiuncta Praefationi, quam CL. Gutbirius Versioni illi praeposuit.

(x) Luc. I, 3. Gal. IV, 9.

libet Textus biblici, examinatis omnium vocum ac phrasium significationibus, totisque constructionibus, earum unicam semper eligat.

De loco Tit. III, 5.

§. XXX. Intendamus iam etiam considerationem in locum alterum, sive Paulinae ad *Titum* epistolae capitis tertii versum quintum, Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου, hoc est, ut convertit Vulgatus, *non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Syrus verba, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, vertit, בסחתא דמולדא דמן דריש *per lavacrum generationis, quae denuo fit*, Arabs, behhamími eádate-lewládati, i. e., *per aquam repetitionis generationis*, sive *generationis repetitæ.* Hic doceri, sacrosancto Baptismo homines secundum nasci, fateantur oportet ad unum omnes, quotquot verba, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, de Sacramento illo accipiunt: quia παλιγγενεσίαν haud aliter interpretari poterunt, quam *secundam generationem.* Conferatur Matth. XIX, 28. Quantum vero ad illos, qui Divinum PAVLVM de Fonte Baptismatis loqui inficias eunt, non sunt Pontificii, sed aut Calviniani (y) aut Photiniani (*) & eius generis alii, aut Fanatici (z), cum quibus omnibus nihil mihi iam est negotii. Neque opinionem suam unquam demonstrare hi potuerunt, quin potius, esse eam falsissimam, NOSTRI (aa) dudum ad liquidum perduxere.

(y) v. g. ex recentioribus Elsnerus, de quo vid. Epistola Saint-Aubini.

(*) quorum meminit Hungerus, in Delic. Catech. P. V. p. 253. f.

(z) v. g. Sebachius, de quo §. 28, & Christian Fende, in nova versione ep. ad Ephes. p. 23.

(aa) Vid. e. g. B. D. Quenstedt l. c. pag. 113, 114.

Eliciendi ex dictis Scripturæ locis Argumenti Propositio maior.

§. XXXI. Ex duobus his locis iam talem in modum ratiocinor: *Qui ritus sacrosanctum lavacrum ibi applicat, ubi illud cum* CHRISTO *&* *Apostolo* EIVS, *Paulo, lavacrum regenerationis seu generationis novæ, iteratæ, secundæ, nuncupare nequimus, hic adversus* SCRIPTVRAE S. *est atque Ordinationi Divinæ.* Non possunt adversarii, quin hanc mihi largiantur Propositionem: aliter negandum illis foret, phrases, γεννηθῆναι ἄνωθεν & λουτρὸν παλιγγενεσίας, esse phrases SCRIPTVRAE S., humanasque ordinationes, cum S. SCRIPTVRA pugnantes, pugnare Divina cum ordinatione. Optime CHRYSOSTOMVS ad verba, *Adæ vero non inventus est adiutor similis illi, Quid vult*, inquit (bb), *brevis hæc dictio*, Adae vero? *quare apponit coniunctionem? an non sufficiebat*

(bb) Homil. XV. in cap. 2. Genes. Tom. I. pag. m. 37. a.

ficiebat dicere, Adæ? *Non absque ratione, neque curiositatis gratia inquirendi talia nobis studium est: sed ut diligenter omnia vobis interpretantes, doceamus vos, neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis litteris contentam, esse prætereundam. Non enim verba qualiacunque sunt, sed & Spiritus Sancti verba. Et propterea magnum in his thesaurum invenire licet, etiam in una dictione.* Hieronymum adiungo docentem (cc), *singulas syllabas in Scripturis Divinis esse plenas sensibus.* Quamobrem particularum ἄνωθεν & πάλιν utique ducenda est ratio: quas non respiciunt, qui Baptismi mysteria ibi applicant, ubi prima nondum evenit generatio. Neque iidem Canones Hermenevticos, *recedendum, inprimis in auctorum & SCRIPTVRAE S. interpretatione, non esse a nativa & genuina vocum significatione, nisi cogat absurditas rei, aliterque svadeat auctoris intentio, sensum literæ non esse deserendum, ubi fidei articulus, ceu in propria sede, tractatur, sensum literalem non esse inferendum, sed efferendum, Terminos accipiendos esse, non ut libet, sed ut usu licet*, mente memori retentant. Nam sive applicent materno utero, sive, per apertam materni corporis partem, aut per fistulam, aut per manum in uterum insertam peritarum obstetricum, ipsi embryoni (dd), sive exserto eius membro alicui, necesse habent, *generatum, natum esse*, exponere, non tantum *editum in lucem esse & susceptum*, sed *esse in utero formatum*, item *pediculum, maniculam, &c., inde proferere.* Denique ut reliquas sacri Baptismatis circumstantias, puta, caussam efficientem principalem, caussam efficientem ministerialem, materiam ex qua, formam, finem, SCRIPTVRA DIVINIOR condocuit: ita eadem phrasibus, ἄνωθεν γεννηθῆναι, λουτρὸν παλιγγενεσίας, Subiectum Baptismi, id est, quibus is conferendus sit, docet ac edocet, esse nimirum illud hominem vere natum. Nam alioqui *primum* aliis procul dubio phrasibus aut vocibus, v. g. ζωῆς πνευματικῆς μεταλαβεῖν, λουτρὸν πίστεως, πνευματικῆς ζωῆς, &c., usi fuissent ll. cc. CHRISTVS & *S. Paulus*; dehinc nullus in S. LITERIS haberetur locus, Subiectum sacrosancti lavacri specialius, quam Matth. XXVIII, 19. præfinitum est, præfiniens, cum tamen in reliquorum Sacramentorum, Circumcisionis, Agni Pa-

(cc) in Comment. ad Eph. 3.

(dd) Vid. B. D. MAYERI Museum Ministri Ecclesiæ, P. III. cap. 2. §. 2.

ſchalis, & Sacræ Cœnæ, doctrina præfinitio eiusmodi, ex VERBO DEI memoretur.

Prædicti ſecundi Argumenti Propoſitio minor.

§. XXXII. Sequitur Propoſitio minor: *Ritus Papiſticus, quo infantes, capitulo duntaxat, aut brachiolo, aut manicula, aut pediculo, exſtantes baptizantur, ſacroſanctum lavacrum ibi applicat, ubi illum cum* CHRISTO & *Apoſtolo* EIVS, *Paulo, lavacrum regenerationis ſeu generationis novæ, iteratæ, ſecundæ, nuncupare nequimus.* Huius fundamentum Propoſitionis poſitum eſt in eo: quemadmodum vel pueri adſequuntur animo, dici nequire denuo mori, denuo labi, denuo ſanari, qui non iam ſemel eſt mortuus, lapſus, ſanatus, ita qui non iam ſemel generatus eſt, non niſi inepte dicitur regenerari, ſive denuo, ſecundum, generari. Poteſtne vero infans iam ſemel generatus perhiberi, qui aliquod ſolummodo membrum protendit? Recte CL. Auctor ſupra (*) citatæ Sylloges, *Neque enim nati illi* (infantes) *ſunt*, inquit (ee), *quando tota generationis actio nondum conſummata & proles a carne matris ſeparata eſt, ſed tum demum, ubi reuera peperit Mater, & non amplius preſſuræ meminit propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum, Ioh. XVI, 21.* Vtrumque, & regenerandum oportere eſſe iam ſemel generatum, & fœtum, cuius tantum manicula &c. prominet, pro iam nato haberi nequire, tam evidens, tam perſpicuum eſt, ut relationem, quæ inter hic comparatas ideas intercedit, non poſſit non ſtatim percipere, qui ſua utitur ratione. Quum itaque iam Præmiſſarum veritas, per dicta SCRIPTVRAE dilucidasque rationes facta ſit Sidonio vitro pellucidior, recto ſtat & in æternum ſtabit Concluſio hæc talo, *Papiſticus baptizandi maniculam &c. ritus adverſus eſt* SCRIPTVRAE S. *atque Divinæ Ordinationi, ac ideo illum neque adſciſcere* AVGVSTANAE *Addictis* CONFESSIONI *integrum eſt, neque inducendi ius habet Magiſtratus Romano-Catholicus.*

(*) §. 23.

(ee) qu. 3. §. 2.

Argumentum III. ductum ab auctoritate S. Auguſtini, &c.

§. XXXIII. Tertium argumentum Maxime Venerabiles Theologi Wolavienſes duxere ab auctoritate S. AVGVSTINI inquientis (ff), *Non poteſt quisquam renaſci, antequam ſit natus*, & *Iſidori*, Epiſcopi Hiſpalenſis, ſcribentis (gg), *Qui in maternis*

(ff) in Epiſt. 57. ad Dardanum.

(gg) L. I. de ſumm. bono c. 4.

ternis uteris, ideo baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest, neque regeneratio dici potest, quam generatio non praecessit. De Episcopo Hipponensi, *Dionys. Petavius* quoque memorat (hh), *docere eum* (ii), *parvulos non renasci, antequam nati sunt, nasci porro non nisi cum de utero matris egrediuntur, unde nec renasci, nisi cum indidem effusi sunt:* quod censoria haud notat virgula Pater Ignatianus, cum tamen id docere, maniculamque &c. baptizare, vehementer repugnet. *Isidori* verba in CANONICO etiam IVRE (kk) habentur. Ibidem (ll) & haec leguntur (*): *Sacramentum baptismi sacramentum est regenerationis, quare sicut qui non vixerit, mori non potest, ita qui natus non fuerit, renasci non potest, ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum*; item (mm), *A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem nullus prohibendus est a baptismo. Petrus Lombardus* quoque, Parisiensis Theologiae Professor ac Episcopus, & *Isidori* & priora S. AVGVSTINI verba, *Non potest quisquam renasci, antequam natus sit*, non solum producit, sed praeterea sua facit (nn). Porro *Mayronis* etiam, *Richardus, Astesanus, Henriques, Comitolus, Angles, Graffis*, citante (oo) *Theophilo Raynaudo*, Societatis IESV Theologo, hoc axiomate, *Nemo potest renasci, priusquam natus est, atque adeo fusus ex utero*, utuntur nituntur que, *Baptismum intra uterum non esse administrandum* (pp), probaturi. Auctores hos statuisse, S. Baptismi Subiectum esse non nisi hominem iam natum, iam matris effusum utero, ex productis eorum verbis liquidissime constat. Tune vero id cum controverso ritu conciliabis? *Verba Thomae* (dictum quae commendant ritum,) *pugnant cum Iure Canonico & ratione Augustini ac Isidori modo assignata*, recte inquiunt GISSENSES (qq); *an enim tu dixeris*, pergunt, *infantes, qui ex utero non sunt egressi, nasci* (natos, materno utero effusos esse,) *& consequenter renasci debere?* Pugnam hanc perspectam CASPAR ZIEGLERVS quoque, ICtus Saxonicus, habuit; qui ad verba Lancelotti (**), *Non ibi regeneratio reperiri potest, ubi generatio non praecessit*, annotat: *Sed alia mens sedet Moralistis hodiernis, qui volunt,*

(hh) Dogmatum Theol. de Deo Deique proprietatibus, lib. IX. c. XI. §. 6.
(ii) l. c.
(kk) Decreti Part. III. de Consecrat. Dist. IV. C. CXV.
(ll) l. c. C. CXXXII.
(*) ex S. Augustini lib. 2. de peccator. meritis, cap. 27.
(mm) C. CXXXIV.
(nn) in Magistro Sententiarum, lib. IV. Distinct. 6. p. m. 304.
(oo) in Tract. de ortu infantium contra naturam, per sectionem Caesaream, Cap. VI. p. 93.
(pp) cuius perversae molitionis meminit e Nostris, cum improbatione, B. D. Io. Frid. Mayerus l. c.,
(qq) l. supra c.

ex Pontificiis, cum approbatione, Claudius la Croix, in Busenbaumii Theologia morali, aucta a se, Coloniaeque, an. 1719. edita, Tom. II. pag. 46. a.
(**) in Institutionum Iuris Canonici lib. II. Tit. III. §. 8. p. 320.

volunt, in casu, quo fœtus edi non potest, & periculum mortis immineat, posse & debere fœtum illum quomodocunque & quacunque corporis parte conspicuum baptizari, ita ut sufficiat, vel manum tantum, aut pedem, aut digitum, imo crines etiam, & secundinam, si nulla alia pars ex utero appareat, baptizari. Conferantur & verba Io. Gersonis (*). Phrases, *natum esse, ex matrice fusum, effusum esse*, & in communi vita, ubique terrarum, & in SCRIPTVRA S. ita usurpantur, ut, infantes perfecte natos esse, semper indicent. Quemadmodum itaque Enunciata hæc, poma non, nisi maturata, ex arbore avelle, cœnatus deambula, rosam non, nisi florentem, carpe ac deliba, non nisi contumaciter errantes aversare, ab illis, poma, maturescere cœptantia, avelle, cœnari incipiens, deambula, rosæ calycem, paullisper apertum, decerpe, errare occipientes, declina, ita sunt diversa, vt, si hæc proferas, istis contradicas, & versa vice: ita & Enunciationes, *infans non, nisi natus & ex utero fusus, renasci potest*, atque, *infans manicula &c. prominens renasci potest*, simul veræ esse nequeunt. Quamobrem mirandum mihi accidit, quod *D. Caietanus Felix Verani*, Clericus regularis, ac SS. Theol. Iurisque Canonici Professor, licet Thomæ Aquinati de controverso ritu prorsus adsentiatur, usurpet tamen etiam, aptoque simili illustret, dictum Antiquitatis Canonem, inquiens (rr), *Non potest quis regenerari, neque renasci, nisi prius genitus & natus fuerit, regeneratio, ut & renascentia, est iterata generatio, - - - - - perinde ac numerus secundus, qui supponit essentialiter primum, non potest dari sine primo; - - - - adeo, ut renascentia per baptismum supponat essentialiter nativitatem ex utero, perinde ac numerus secundus supponit primum.* Quin imo rationem allaturus, cur Pontificiorum plures, parvulos, quorum duntaxat protensa pars aliqua sacro superspersa primitus est liquore, deinceps exclusos e matrice totos baptizandos iterum esse censeant, Nostrorum nostræque paulo ante propositæ sententiæ prorsus congruenter ita loquitur (ss): *Christus enim instituit, ut Sacramentum baptismi conferatur hominibus perfecte natis, seu totaliter egressis ex utero matris, Christus non iussit suos discipulos, baptizari hos parvulos in utero matris adhuc existentes, sed Gentes iam natas & egressas ex utero matris; etenim Matth. XXVIII. iniungit suis discipulis,*

(*) §. sequ. a me producta.

(rr) in Theologiæ Polemicæ Tomo III., anno 1719. foras dato, pag. 355.

(ss) ibid. p. 356.

pulis, ut doceant omnes Gentes, & baptizent eos &c. Equidem Enunciationi, *Infans manicula &c. prominens renasci, sive baptizari, potest*, limitationem hanc, *si mors immineat*, D. Verani adiicit: sed tamen neutiquam illa sic cessat pugnare cum Enunciatione altera, quippe quam nec Divinæ Pandectæ, nec Veneranda Antiquitas, per additamentum, *nisi mors instet*, ullibi ac unquam limitavere.

§. XXXIV. Mentionem movi IVRIS CANONICI; cuius porro cumprimis GLOSSA nobis contra superstitionem istam adfert præsidium. Namque, referentibus non tantummodo B. D. Io. GERHARDO (tt) ac B. D. IO. FRID. MAYERO (uu), sed Angelo de Clavasio (*) quoque, A. C. 1495. lege naturæ functo, negat illa c. si ad matris, dist. 4. de consecr., *Baptismum administrandum esse, nisi iis, qui perfecte nati*; ratio, quia, qui non est perfecte natus, non potest dici homo l. quod certum c. de posthum. her. instit. ubi requiritur, ut sit totus natus, qui posthumus dicatur, additque, *Proinde si mos in Ecclesia receptus, ut principale membrum, ex naturæ penetralibus exertum, baptizetur, is prægressa auditorum informatione sine scandalo aboleatur.* Hæc e GLOSSA; cui subiungo *Petrum Aureolum*, Aquisextanum Archiepiscopum, celebremque suo tempore Theologum, qui perperam quidem contra, atque Glossularius laudatus iudicat, asserit (xx), *partem aliquam principalem, extra apparentem, baptizari posse:* sed tamen bene censet (yy), *comparentem partem minus principalem, pedem vel manum, sacro fonte non esse adspergendam.* Propius Glossematario accedit Bonaventura, Thomæ de Aquino σύγχρονος & commilito, Bellarmino (zz) vir sanctissimus & doctissimus, in Disputatis super libros Sententiarum (**); ubi primo statuentium, *ante necesse esse a carne matris parvulum separari, & totam generationis actionem consummari, quam superveniat benedictio*, sive, *necesse esse ante baptismum parvulum nasci, ut sit perfecte natus secundum carnem*, rationes duntaxat Ei non in totum arrident, deinde ostensa ratione alia, quam pro magis idonea habet, quamque ait *communem esse omnibus sacramentis secundum omne tempus*, ipse, *homini non, nisi extra uterum existenti, sacrum Baptismum applicandum esse*, aperte docet. In hanc *Bonaventuræ*, quam in illam Aureoli, sententiam proniorem fuisse,

Argumentum IV. obvertens Glossam Iuris Can. &c.

(tt) Locor. Theolog. Ienæ edit. Tom. IV. de Baptis. §. 167. p. 1039. s.

(uu) in Museo Min. Eccl. p. 995.

(*) in summa Casuum Conscientiæ, quæ Angelica dicta, pag. 19. b. col. 1.

(xx) 4. sent. dist. 5. q. 1., citante D. GERHARDO l. c.

(yy) ibid.

(zz) in lib. de Scriptorib. Eccles. p. 256.

(**) Part. IV. quæst. 1 ad distinct. 6. libri 4. Sententiarum.

qui A. C. 1404. claruit, *Io. Gersonem*, liquet ex his eius verbis (*), *Idem sentiunt quidam de his, qui non totaliter egressi sunt uterum maternum, videlicet, quod si principalior pars egressa fuerit, poterit baptisari. Quod utrum verum sit, nescio, præsertim cum oporteat quemlibet nasci ad hoc, ut renascatur.* Huiusmodi VERITATIS testimonia tegenda neutiquam sunt silentio. Apprime enim VERITATIS conducit rationibus, suo iugulari gladio, qui inimici EI sunt & infensi. Idem sentit D. Christoph. Matth. Pfaffius (**), qui, *Præcipua hæc quædam methodus est*, inquit, *qua veritatem sanctissimæ fidei nostræ Romanensibus testatam facere & argumento invincibili probare possumus, si ostendamus, ipsa Concilia vetera, ipsum Ius Canonicum, ipsos Doctores Ecclesiæ Romanæ præcipuos olim ea dogmata, quæ iam nos defendimus, tenuisse. Hæc est, quæ vocatur refutatio κατ' ἄνθρωπον, ubi proprio gladio iugulatur adversarius.* Si ita non esset, ut dictum est, qui fieri potuisset, ut EVANGELICORVM DOCTORVM non pauci, iique doctrina, usu & sapientia præstantes, tam ex IVRE CANONICO, quam ex celebrioribus Pontificiæ fidei scriptoribus, tot adversus Papismum tela conquisivissent, atque in publicum, peculiaribus cumplurimum scriptis, contulissent? Quantum ad IVS CANONICVM, pertinent huc D. ANDR. OSIANDRI, Theologi Tubingensis, *Papa non Papa*, LVCAE FRIDERICI REINHARDI, Altorfiensis Theologi, *Iuris Canonici gemmulæ e Decreto Gratiani collectæ*, D. FEVSTKINGII Disputatio *de Præsidiis veritatis Evangelicæ in Iure Canonico occurrentibus*, ILLVSTRIS SAMVELIS STRYKII *Præsidium religionis Evangelicæ ex Iure Canonico*, D. IO. CHRISTOPH. PFAFFII *Dogmata Protestantium ex Iure Canonico comprobata*, D. IO. HIMMELIVS, Theologus Ienensis, D. SPENERVS. Adiicio Anonymi *Asylum innocentiæ Quenellianæ in Iure Canonico quæsitum.* In Eorum autem, qui celebriores auctores Pontificios veritatis citarunt testes, numero sunt MATTHIAS FLACIVS, IO. GERHARDVS, NICOL. HVNNIVS, IO. GEORG. DORSCHEVS (a), item CHAMIERVS, PHILIPP. MORNAEVS, GIESB. VOETIVS (b), HOLDERVS (c). Alios haud paucos eius generis Auctores commemorat dicta Præfatio, quam D. Pfaffius Fil. novæ laudati libri B. Parentis Editioni

(*) quæ reperi in Opp. eius Parte I. p. 26. lit. Q.

(**) in præfatione libri mox laudandi.

(a) qui AVGVSTANAE veritatem CONFESSIONIS ex Thoma Aquinate dilucidavit.

(b) in libro prænotato, Vis veritatis in Papatu erumpens.

(c) qui Transsubstantiationis dogma ope contradictionum Scholasticorum prostravit.

Editioni præmisit. Addi meretur GERHARDVS von MASTRICHT, Syndicus & Polyhistor Bremensis, quippe qui, qua ratione IVS CANONICVM contra Pontificios usui esse possit, in *Historia Iuris Ecclesiastici* (d) præclare monstrauit.

(d) pag. 350. seq. *Argumentum V., ductum a Conciliorum silentio.*

§. XXXIV. Progrediamur ad CONCILIA, Romanorumque decretales epistolas ac constitutiones Pontificum. Prægrande *P. Ioannis Harduini*, ex Societate LESV Presbyteri, Collectionis Conciliorum opus consului. Maiori forte, quam metallicus, intra venas terræ metalla qui scrutatur, inveniendi flagrans cupiditate, non modo locupletem rerum & verborum memorabilium indicem, quantum ad Baptismum, percurri, locaque pertinere ad rem præsentem visa, inibique citata, evolvi, verum etiam, ut mihi, quidquid Concilia Romanique Pontifices *de SS. Baptismo* unquam docuerunt ac sanxerunt, simul notesceret, notitiæ huius, statim in præsenti controversia, usum aliquem cogitatione præcipiens, singulos Tomos pervolvi. Inveni tandem (e) in *Synodi Coloniensis*, circa A.C. MCCLXXX. a Sifrido Archiepiscopo convocatæ, decretis hæc verba: *Si timeatur de morte infantis antequam nascatur, & caput eiusdem infantis appareat extra uterum, infundat* (obstetrix) *aquam quæ adfuerit, super caput nascentis, dicens, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Confirmatum hoc ivit *Synodus Nemausensis*, acta anno circiter supra millesimum ducentesimo octogesimo quarto, sic loquens (f), *Si vero, matre in partu laborante, infans extra ventrem matris tantum caput emiserit, & in tanto periculo infans positus nasci nequiverit, infundat aliqua de obstetricibus aquam super caput infantis dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Natalis Alexander*, sic in *Theologia Dogmatica & morali, an. 1698. divulgata*, locutus (g), *ubi* (imminente fœtui, antequam integre nascatur, periculo mortis probabili,) *primum aliquod membrum, vitalem motum habens, ex matris utero extare videbit* (obstetrix aliave mulier in partu præsens,) *illud aqua perfundens, aspergensve, nullo nomine imposito baptizet, dicens, Ego te baptizo &c.*, subiicit quidem, *Ita etiam statuit Synodus Lingonensis, anno* MCCCCIV., *& Synodus Senonensis*, MDXXIV: verum apud *Harduinum*, præter Colonien-

(e) Tom. VII. p. 822. C. D.

(f) ibid. pag. 906. D.

(g) Tom. I. p. 246. a.

lonienſem atque Nemauſenſem, ſynodus alia de ſuperſtitione iſta non meminit, nedum ſancivit. Meminerunt quidem Baptiſmi neceſſitatis multæ etiam aliæ (h), ſed ne unico quidem verbo controverſæ ſimul conſvetudinis. In Synodo Colonienſi appoſuere, *Et ſi infans ſic moritur, ſepeliatur corpus eius in cœmeterio, ſi autem pervenerit vivus ad ortum, & de forma dubitetur, de novo baptizetur ſub hac forma, Petre, vel Ioannes, ego te non baptizo, ſi es baptizatus, ſed ſi tu non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Acta eſt Synodus hæc aliquot annis poſt, quam mortem obiit *Thomas Aquinas:* ante quem, de baptizatione in diſceptationem cadente, ſilentium agunt Concilia omnia. Adiice, quod & Patrum, Scholaſticorum, Romanorumque Pontificum, qui ſplendidiſſimum illum Ordinis Prædicatorum ſolem, ut quidem *P. Iacobus Echardus* (i) *Thomam* nuncupat, anteceſſere, nullum, qui de ritu illo mentionem habuerit, nominare hactenus potuerunt ſcriptores Pontificii. Dignum inprimis, quod ſeparatim commemoretur, eſt, quantum ad Concilia, Concilii Carthaginienſis III. in epiſtola Synodica (*), &, quantum ad Pontifices, Georgii I. in epiſtola ad Auguſtinum, Archiepiſcopum Cantuarienſem (**), ſilentium: quia utroque in loco de quæſtione, quando infantes baptizandi ſint, deſtinate agitur.

(h) e. g. Friſingenſis, an. 1440. habita, quæ non modo de neceſſitatis, ſed ſummæ neceſſitatis, Baptiſmo conſtituit. Tom. IX. Hard. p. 1287.

(i) Tom. I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, p. 271.

(*) quæ eſt epiſtola 59. Cypriani. Vid. & Tom. I. Labbei p. 742. D. & Tom. I. Hard. p. 147.

(**) apud Hard. Tom. III. p. 513.

§. XXXV. Equidem regerere poſſunt, *Etiamſi ante Divini Aquinatis tempora exertis verbis nemo Auctorum docuit, nullusque Pontifex, aut Concilium, quam ſermone tam longo impugnas baptizationem, conſtituit: tamen effata nonnulla venerata eſt Antiquitas, ex quibus, minimum veriſimiliter, colligitur, illam ante Divinum Thomam non fuiſſe prorſus inuſitatam.* Etenim *primum* Siritius Papa, qui circa finem ſeculi quarti Romanam tenuit ſedem, voluit, docente epiſtola ad Himerium Tarraconem (k), ut, *ſi in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacra unda baptiſmatis, omni ſuccurratur celeritate. Deinde* Stephanus Secundus, Papa, in Reſponſorum, quæ A. C. 754. reddidit, duodecimo ſtatuit, *licere per neceſſitatem cum concha, aut cum manibus, infanti, in infirmitate poſito, aquam ſuper caput fundere, & ſic baptizare* (l). Præterea Concilii Londinenſis, A. C. 1268. celebrati, Capitulum I. effatum hoc

Quæ Conciliorum ante Thomam habitorum opponi poſſunt ſilentio.

(k) cap. II.

(l) Tom. III. Hard. p. 1987.

hoc continet: *Cum autem nemo prorsus debeat absque huiusmodi sacramenti* (S. Baptismi) *perceptione dimitti, potest a quocunque, necessitatis casu occurrente, conferri* (m). Denique omnibus constat Theologis, *Augustinum*, præcipuum lumen Doctorum Ecclesiæ, pro certo putavisse (n), *parvulos, sine Sacramento sancti baptismatis de hoc seculo transeuntes, ignis æterni sempiterno supplicio puniri.* Multorum insuper aliorum olim vox erat, *Non coronantur, si non initiantur.* Quare Caucasum induisse mente, omnisque commiserationis expertes fuisse, censendi forent, qui ante Aquinatem in vita fuere, Christiani, nisi primam quamque, guttulas tam necessarias adspergendi, amplexi fuissent occasionem, aut etiam hanc habere modo omni quæsivissent.

(m) Tom. VII. Hard. p. 616.

(n) Vid. Opp. Tom. III. lib. de Fide ad Petr. Diac. cap. 27.

§. XXXVI. Hæc sunt, quæ Propositioni meæ, *Tota si & plane de ritu sæpius commemorato Antiquitas*, videntur posse opponi: exploratumque habeo, præter hæc, telum aliud iaculabile officinam illam armorum talium non subministrare parti adversæ. Ad singula autem iam sequentem in modum respondeo. Siritii Papæ verba ita, ut habentur in Conciliis Moguntinis, A. C. 813. & 847. coactis, paragrapho præcedente sunt exhibita: verum in ipsa epistola Siritius ita loquitur: *Infantibus, qui nec dum loqui poterunt per ætatem; vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri* (o). Neminem a tanto oppressum esse stupore opinor, ut non videat, Pontifici illi sermonem hic esse *primo* de infantibus, vere natis, *secundo* de adultis, Christianam quidem Religionem amplexis, sed saluberrimo liquore nondum perfusis. Stephanus Secundus etiam, num de parvulis, nondum e matrice in totum emissis, respondet? Qui affirmas, unde id, quæso, probabis? Deinde verbis exhibitis hæc ille proxime subiicit: *Hoc Baptisma, si in nomine sanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, præsertim cum & necessitas exposcit, ut ille, qui ægritudine detentus est, hoc modo renatus, particeps Dei regni efficiatur.* Posito sub oculis responso toto, iudicare unusquisque potest de eo, quod existimo & persvasissimum habeo, nimirum, quum adspergendi baptizandos consvetudo demum anno circiter 875. in ecclesia occidentali vigere cœperit (p), Stephanus autem secundus anno 752., ideoque

Ad singula respondetur.

(o) Tom. I. Hard. p. 848.

(p) Vid. Ioseph Vice-comes, de

que tempore, quo adhuc immersio florebat & dominabatur, claruerit, interrogatum hunc, *An baptizandis recens natis, sed infirmis & ægris, pro immersione liceat adhibere adspersionem* (*)? idem respondisse, quod *Cyprianus* olim *Magno* de Clinicis respondit (q). Pronunciati e Londinensi Concilio prolati, *Nemo prorsus debet absque SS. Baptismi perceptione dimitti*, vox inceptiva est Signum mixtum, Nemo, h. e., nullus homo. Atqui supra (r) Canonici Glossa Iuris docuit, infraque apto confirmabitur argumento, quos infantes matres non enixæ sunt totos, habendos nondum esse in numero verorum hominum. Ponamus tamen, illius Concilii Patrum aliter hac de re fuisse sententiam: ecquis nescit, Propositiones universales esse vel absolute tales, vel secundum quid (s)? Iam, quod ex mente Patrum Londinensium, in illarum, non harum, numerum referendum sit ἀξίωμα commemoratum, h. e., quod Prædicatum de omni Subiecto simpliciter, & sine ulla restrictione, hi negent, hunc in modum, *Nemo prorsus, seu vere natus sit, sive non, absque S. Baptismo debet dimitti*; dilucide prius demonstrare oporteret eum, qui verba illa hic obiiceret, quam mea sententia, esse Propositionem istam secundum quid universalem, efferendamque tali modo, *Vere natorum nemo prorsus absque S. Baptismo dimitti debet*, desisterem. Meam hanc sententiam Redingense firmat Concilium, a *Io. Peckham*, Cantuariensi Archiepiscopo, A. C. 1279. celebratum, utpote quod in Constitutione IV. de necessitatis Baptismo constituens, non nisi puerorum, de materno utero natorum, puerorum, qui nati existunt, puerorum, cum fuerint nati, infert mentionem (t). Postremo quantum ad *B. Augustini* dogma, *primum* erroribus Eius (u) id nostra semper annumeravit Ecclesia: neque immerito, ut ex octo Theologorum Wolaviensium rationibus patet, quas quidem adversarius convellere studuit, promissa autem supra (x) commentatio mea, iuvante CHRISTO, tuebitur ac defendet. *Deinc* ex eo, secundum sancti ipsius Patris mentem, nihil profecto aliud, quam, *infantibus, vitæ in discrimine versantibus, tantum quod toti emissi sunt, conferendum esse S. Baptismum*, colligi poterat. Nonne enim, ut supra (y) cognovimus & percepimus, beatus ille vir hoc quoque doctrina tradidit, *Non posse quemquam prius, quam natus sit, renasci?* quæ præceptio commiserationi, dogmate isto

antiquis Baptismi ritibus, lib. 4. cap. 7.

(*) Conf. D. Koenig. l. c. p. 245. s.

(q) epist. 7. lib. 4.

(r) §. 34.

(s) Vid. Saurii Syst. Log. Lib. 2. Sect. I. c. 3. n. 9. pag. 264.

(t) Vid. Tom. VII. Hard. p. 785.

(u) in quorum numero est Eius quoque Prædestinatianismus, de quo vid. B. D. Fechtii Epistolæ Anti-Prædestinatianæ; item, parvulos sine S. Cœna non salvari, ap. Bidembach. p. m. 502.

(x) §. 7. p. 6.

(y) §. 33. pag. 50.

isto erroneo plus nimio forte commotæ, sine dubio temperabat. *Adnotatum experimentis*, ait C. Plinius (z), *quod favor & misericordia acres & vehementes primos impetus habent, paulatim consilio & ratione, quasi restincta, considunt.*

(z) lib. 2. ep. 11. p. 91. Edit. Thomas.

§. XXXVII. Nascitur e dictis primum hæc ratiocinatio: *Quandoquidem de controverso ritu Pontificio neque Concilia, neque Patres, neque Scholastici, neque Pontifices, ante Thomæ Aquinatis tempora sanxere aut mentionem habuere, inusitata illa dubio procul fuit ante Thomam Christianis.* Negare consequentiam adversarii eo nequeunt, quia illius intermissionem multorum æternæ damnationi infantum caussam esse perhibent, prædicta vero Antiquitas multo leviora, eorumque de ipso SS. Baptismo nonnulla, sancivit, commemoravit. Secundo sic ratiocinor: *Si, qui in quæstione est ritus, ante Aquinatis ætatem usitatus non fuit, ideoque decimo tertio demum post* CHRISTVM *natum seculo, oriri occepit, certe tam necessarius, ut eius intermissui æterna infantum, aliqua corpusculi duntaxat parte exstantium, damnatio adscribi possit, perhiberi nequit.* Etenim consummatissimi ante Thomam vixere Theologi, singula & universa ea, quorum intermissio unum alterumque hominem in aeternum disperderet, habentes exploratissima. Quocirca tertio argumentor, *ad illum a Romano-Catholicis Evangelicorum neminem minis & vi posse adigi.*

Conclusiones, de prædicto silentio derivatæ.

§. XXXVIII. Sed isto de more non solum Concilia ante Thomam habita, verum &, paucissimis iis, quæ supra memoravi, exceptis, post eum celebrata, siluerunt; & quidem, ut iam supra (aa) dixi, ibi quoque, ubi de Baptismo necessitatis, id quod haud raro factum, constituerunt. Quapropter tametsi Thomas Aquinas, Richardus de media Villa, Landulphus, Petrus de Alliaco, aliique doctores Scholastici, baptizationem istam condocuere: tamen ex prædicto Conciliorum post Thomam silentio colligo, *tam necessariam eam, ut infantes, absque ea perirent, Conciliorum illorum Patres non iudicasse*, & iccirco eam compluribus forte locis non obtinuisse; minimum quoad Iesuitarum societas, quæ ad eam in consvetudinem inducendam, sicut etiam hymnus publicus, quo Ignatium Moguntina honorat ecclesia (bb), condocet, præcipue annixa est, eminere inter Pontificios occeptavit.

Argumentum VI., ex Conciliorum, post Thomam coactorum, silentio sumptum.

(aa) §. 34. p. 56.

(bb) Strophas huc pertinentes exhibet Eclogarum Mayero-Neumeist. Pars II. pag. 102.

§. XXXIX. Obiectionem prævideo, quam non a primo nullius ponderis esse autumaveris. Nimirum Mechlinienſe Concilium,

Ad obiectionem quandam respondetur.

lium, A.C. 1607. convocatum, Titulo suo secundo hoc inseruit, *In administrandis Sacramentis pastorale suæ cathedralis omnes sequantur, & eo deficiente, ecclesiæ metropolitanæ; nihil temere addendo, demendo, vel immutando* (cc): & in Concilio Aquensi, A. C. 1585. coacto, legitur, *In reliquis servent omnino curati ceremonias, & ritus in libro rituali baptismorum.* Verum enimvero primum perpaucis in Synodis hanc reperi admonitionem. Secundo cur iis alia, in liturgicis libris necessario proponenda dubioque procul proposita, eaque talia, quæ Pontificiis non possunt non controversa baptizatione longe leviora videri, inserta reperiuntur? Tertio quod in prædictarum ac aliarum diœcesium, aut provinciarum, quarum Concilia de Baptismo quidem necessitatis, at non de more, in controversiam adducto, meminere, ritualibus libris ante, quam, quæ sibi a SALVATORE IESV nomen adscivit, Societas florere apud suos auctoritate cœpit, confectis revera commendata ac imperata sit; hoc, inquam, exemplis non inficiandis docendum prius foret, quam dictitari posset, obiectione ista argumentum meum sextum infirmari.

(cc) ex Tom. XV. Labbei, p. 1544.

Argumentum VII. ex utriusque Conciliis temporis quædam opponens.

§. XL. Porro non tantummodo ritum, cadentem hic in controversiam, tacent & Concilia ante Thomam, eaque ad unum omnia, & Concilia post Thomam, eaque ferme omnia, sed habentur quoque in iis utriusque temporis, ritui isti quæ opponi possunt. Primum quando eorum Patres, in genere docent, *infantes Christianorum esse baptizandos*, non raro, ibique etiam, ubi, *sacram lavationem esse eis citissime administrandam*, monent & sanciunt, Propositionem hanc esse restrictivam, restringendum Subiectum eius esse ad infantes iam natos, aut ipsa Patrum verba aperte indicant, aut ex contextu & continuatione sermonis apparet: cuius rei unum alterumque exemplum supponam. In Concilii, Nicææ in Bithynia A. C. 325. celebrati, decimo Canone Arabico, *Nati*, inquiunt, *benedictionem*, sive Baptismum, *suscipiant &c.* (dd). Canonum Ecclesiæ Africanæ centesimum decimum, Conciliique Milevitani II. A. C. 401. habiti, secundum, sic ordiuntur: *Item placuit, ut, quicunque τὰ μικρὰ καὶ νεογέννητα ἐκ τῶν γαστέρων τῶν μητέρων*, i. e., *parvos*, &

(dd) Tom. I. Hard. p. 512. & Tom. I. Labb. p. 368.

& ex matrum uteris recens prognatos infantes, baptizandos esse negat - - - - - -, sit anathema (ee). In Concilii Florentini, quod, circa an. 1440. habitum, Pontificii œcumenicum nonum numerare solent, Decreto pro Iacobinis Romana Ecclesia *admonet, non esse per quadraginta aut octuaginta dies seu aliud tempus juxta quorundam observantiam, sacrum baptisma differendum, sed, quamprimum commode fieri potest, debere conferri* (ff). At vero non potest sacrosancta illa lavatio prius commode fieri, quam infans totus in vitam editus est, delatusque in manus obstetricum. In Bituricensi Concilio, A. C. 1584. convocato, sub Titulo decimo nono legitur, *Adversus peccatum originale - - - - unicum est remedium - - - - baptismus, cuius vim & necessitatem exprimens Christus dominus ait* (gg), *Nisi quis - - - - Omnibus ergo recens natis conferatur, - - -* (hh). In Concilio Tolosano, A. C. 1590. coacto, *Vbi primum natus infans fuerit*, inquiunt (ii), *sacro baptismate statim abluatur.* Horum itaque ac reliquorum, similiter locutorum, itemque per contextum huc pertinentium, Conciliorum Patres censuere, docuere, S. Baptismi in genere Subiectum esse hominem, qui in vitam totus introiit: neque vel unica vocula exceperunt ullum casum necessarium & secreverunt. Iam qui, inferioris sacerdotes ordinis ad Baptismatis munus publice instructuri, S. Baptismum hominibus natis esse applicandum, in genere, nulla exceptione nullaque ad institutionem aliam remissione addita, docuere, illi docuisse etiam in specie, Baptismum necessitatis lavacrum esse hominum natorum, haud temere creduntur. Nam *quicquid*, secundum Logicos, *prædicatur de Genere, prædicatur etiam de Specie.* Argumentationem hanc cumprimis respectu Conciliorum, ante Aquinatem celebratorum, ratam ac firmam habendam esse, cuivis memoria repetenti, quod supra (kk) traditum, facile est intellectu: ex eo enim apparet, exceptionem ne ex aliis quidem scriptis & constitutionibus potuisse in dogma illud adscribi. Præterea præcipueque ritui, qui in quæstione est, ex Conciliis opponi potest, in non paucis illorum de necessitatis Baptismo ita præcipi, ut eius Subiectum itidem per has voces, *natus, recens natus*, exprimatur. Exempli causa nomino Nicænum, paulo ante citatum,

(ee) Tom. II. Labb. p. 1121. Tom. I. Synod. Beveregii pag. 646. Tom. I. Hard. p. 1217. Caranza in Summa Concil. pag. 211. f.

(ff) Tom. XIII. Labb. p. 1208. & 1209.

(gg) Ioh. 3, 5.

(hh) Tom. XV. Labb. p. 1087.

(ii) Parte II. cap. 2. apud Labb. Tom. XV. p. 1392.

(kk) § 34. p. 56. lin. 12. f.

tum, Gerundense, A. C. 517. convocatum (ll), Redingense, supra iam commemoratum, Mediolanensia duo (mm), Narbonense (nn).

§. XLI. *Morem nostrum*, inquient, *Concilium nullum aperte reprobat, ex contrario Concilia nonnulla aperte probant. Probavit eum etiam Papa Paulus V. statuens* (oo), *Imminente periculo mortis, baptizandum esse infantem in quocunque membro, extra uterum matris emisso.* Sed quum ante Thomam baptizationem illam nemo doceret, iuberet, adhiberet, reiici vetarique ea a Conciliis, ante Thomam habitis, non poterat. Quantum ad Concilia post Thomam coacta, sufficiunt conseqentiæ legitimæ, ope rectæ rationis inde paragraphis præcedentibus eductæ. Concilia, Thomæ suffragata, fuere particularia, cum Oecumenicis, Niceno, Florentino (pp), &c., auctoritate haudquaquam paria, eoque tempore habita, quo Theologia Scholastica, auctoritatem humanam, quam divinam, maioris pendens, veritatemque cœlestem non modo ignorans, sed etiam adulterans, primas in Ecclesia tenuit. Præponderare vero nequeunt Concilia, quorum regula, qua vera & falsa iudicant, non est sola Scriptura Divinior. Insuper quæ Aquinatis faverunt sententiæ Synodi, recentiores sunt; qualibus prævalent Synodi antiquiores, id quod, teste *D. Pfaffio* (qq), Ius Canonicum quoque condocet. Procul igitur vero est, Concilia magis Thomæ, quam B. D. LVTHERI, stabilire sententiam. Neque Papa Paulus V. explet, quod prædictis Synodis deest. Nam Papa nec Conciliis est superior, de quo iterum conferatur D. Pfaffius (rr); nec infallibilis perhibendus (*), non solum enim *personaliter*, ut privatos Doctores, quod quidam ex ipsis adversariis concedunt, sed & *iudicialiter*, ut Pontifices in ipsa Cathedra, multoties Papas erravisse, claris argumentis signisque iam dudum diluxit. Persvadent sibi Pontificii, sicut docet VIR SVMME REVERENDVS, D. SCHROEERVS (**), *Conciliis particularibus Papam, confirmatis Concilii sententiis, tantam adiicere auctoritatem, ut decreta istorum a nullo in dubium possint vocari:* sed falso.

§. XLII. Redeo ad SCRIPTVRAM SACRAM. Quemadmodum duplicis generis suppeditarunt argumentationem *Concilia*,

(ll) Tom. II. Hard. p 1043. (mm) Tom. XV. Labb. p. 255, 256. & p. 447, 448. (nn) Ibid. p. 1585. D. *Obiectioni occurritur.* (oo) apud D. Verani l. c. pag. 356. a. (pp) de quo supra §. XL. (qq) lib. cit. p. 119. (rr) ibid. p. 202. Potissimum autem vid. B. D. GERHARDVS, rem hanc fuse lateque tractans, in Confess. Cathol. a p. 692. (*) de quo D. Gerh. iterum perquam prolixe agit, l. c. a pag. 77. Add. Viri Magnifici, D. SCHROEERI, Disp. inaug. *de Ecclesia errorum immuni*, §. 12. 13, 14, & 17. (**) l. c. p. 4.

Argumentum VIII. ductum a divinioris si-

lia, praeterquam enim, quod effata quædam, ſupra inde prolata, controverſæ adverſantur baptizandi rationi, præterea non leve, ut puto, ſumi ex eorum ſilentio potuit argumentum: ſic etiam S. LITERAE præter argumentum, e duobus oraculis Divinis ſupra elicitum, aliud, & id utile quoque ac firmum, ſilentio ſuo ſubminiſtrat. Nimirum *ſi infantes, nondum perfecte nati, absque baptizatione illa in æternum perirent, eam* TER OPTIMVS DEVS SVO in VERBO SACROSANCTO *nequaquam ſilentio praetermiſiſſet.* Etenim quum Dominus Ille ac Moderator omnium rerum omnibus iis, qui SCRIPTVRAE SVAE addituri ſint, aut detracturi, væ flebile deſtinaverit (ss), & iccirco illorum, qui recta ſunt de fide ſententia, præſertim ſi de præfinito Circumciſionis, pro qua in N. T. eſt Baptiſmus, die recogitent, neminem his effatis Suis, *Qui baptizatur, ſecundo naſcitur, Baptiſmus eſt lavacrum generationis ſecundæ*, arbitratu ſuo auſurum eſſe addere, *niſi in infantem, generatione prima nondum confecta, mors impendeat*, præviderit: nonne illo e ſilentio clariſſimum adverſus primum ſalutis humanæ principium, *univerſalem* DEI *benevolentiam*, alioqui fundatiſſimam (tt), deſumi poſſet argumentum?

lentio Scripturæ.

(ss) Apoc. XXII, 18.

(tt) Vid. Ioh. 3,16. 1. Tim. II, 4. Rom. 11, 32. &c.

§. XLIII. De præſtituto Circumciſionis in V. T. die paragrapho præcedente movi mentionem. Inde contra verſantem in controverſia ritum hoc argumentum duco: *Si applicare in* N. T. *Sacramentum initiationis infantibus nondum vere prognatis, Divinæ congruens eſſet & conveniens voluntati, & quidem ita, ut infantes hos, ſine applicatione illa demortuos, æterna* DEVS *privaret beatitudine: procul omni dubio* DEVS CLEMENTISSIMVS *in Veteri quoque Teſtamento ſanxiſſet ad initiandum actionem eiusmodi, quæ ſimiliter, h. e., capitulo, aut maniculæ, aut pediculo naſci cœptantis infantis, adhiberi potuiſſet.* Negari hypothetica hæc Propoſitio a viro, Pontificios ſequente ritus, nequit. Neganti enim dicendum foret, voluiſſe DEVM, ut pauciores populi illius, quem in V. T. ex omnibus populis, ut לְעַם סְגֻלָּה, *in populum peculiaris poſſeſſionis*, ſibi eſſet, elegerat (*), infantes ſalvarentur, quam velit, ut in N. T. ſalvificentur infantes Chriſtianorum, cauſſaque idonea, cur

Argumentum IX. ſumtum ab amborum analogia Teſtamentorum.

(*) Vid. Deut. 7, 6. c. 14, 2. Pſ. 135, 4. Sir. 36, 17.

DIVINA MENS, Cuius misericordiam, gratiam, benignitatem, S. LITERAE tam crebro, tam graviter prædicant (*), sic voluerit, aut clarum huius rei testimonium, e S. CODICE, unico cælestium veritatum fonte, esset producendum. Iam ad Consequens quod attinet, est illud a veritate longe aversum: siquidem omnibus notissima res est, DEVM TRIVNVM præcepisse, ut in V. T. sacris suis initiarentur Circumcisione; quæ vero non nisi in plene perfecteque natis infantibus peragi potuit. Ergo a vero longe remotum quoque est Antecedens. Ratiocinatio hæc iam non modo meum subierat animum, verum stilo etiam signata erat, cum reperirem, eadem usum fuisse B. D. IO. FRID. MAYERVM; id quod me tum iucunditate quadam afficiebat, tum etiam reddebat confirmatiorem, quum in exercitatissimorum Ecclesiæ nostræ Theologorum numero reponendus sit vir ille celeberrimus. Verba, quibus suam vir beatæ memoriæ expressit mentem, hæc sunt (uu): *Ministrat id (hominem plene perfecteque natum baptizari convenire,) nobis analogia fœderum. Circumcidendi olim in V. T. erant & nati & plene perfecteque nati. Quoniam vero in locum Circumcisionis successit Baptismus, consimile quoque Obiectum idem habebit.*

(*) Vid. e. g. Exod. 34, 6. Ps. 103, 8--12. Iac. 5, 11. 2. Cor. 1, 3. Eph. 2, 4.

(uu) l. c. pag. 993.

Argumentum X. reliqua conferens Sacramenta.

§. XLIII. Bonaventuram cum Thoma, infantis nondum nati exsertum capitulum, &c. extrema urgente necessitate, baptismali aqua conspergi oportere, non consensisse, supra (xx) prodidi. Amicitiæ ergo, quam coluisse cum Thoma dicitur (yy), laudabiliter antepositit is veritatem, rerum omnium, si cubicularium illum (*) Regis Persarum, & populum applaudentem (**), audias, potentissimam. Rationis etiam commoventis ibi habui quidem mentionem, quæ autem illa fuerit, non significavi, quia in argumentis, ab auctoritate humana desumptis, occupabar, longo insuper sermone eam edisserit Cardinalis. Iam vero, inter rationes versante calamo, exhibeo illam *primum* verbis B. D. Koenigii, Bonaventuram hic secuti (zz): (Infantes, nondum in lucem suscepti toti, baptizandi non sunt,) *quia* secundo *cætera Sacramenta omnia sunt occupata circa hominem, sibi totaliter relictum, id est, in totum a matre sua solutum ac separatum, videlicet, Circumcisio adhibita fuit infanti post diem iam Nativitatis suæ octavum:*

(xx) §. 34. p. 53.

(yy) Bonaventuram Thomæ amicissimum fuisse, Bellarminus, l. c. p. 252. scribit.

(*) 3. Esdr. 4, 35.

(**) v. 41.

(zz) l. c. pag. 342.

Agnus

Agnus Paschalis comestus est ab eo, qui iam ad annos usque discretionis pervenisset: Cœna Domini usurpari solet tum, si quispiam se norit probare, quæ omnia a nativitate subinferunt interstitium; ecquid solus Baptismus aliud iter teneat, occupatus nempe circa hominem, qui nondum integre sit in lucem protractus, sed partim extra, partim intra matris viscera adhuc constitutus? certe Ecclesia (salva interim divina voluntate, quæ intra uterum quoque, ad singulare privilegium, quo unum atque alterum ad magnum aliquod officium deputavit, pro infinita sua potentia etiam atque etiam operari potest) in Foro suo facultatem suam ad nullum extendit, nisi qui extra uterum seorsim sit constitutus, idque pro qualitate Sacramentorum utriusque Testamenti, ex æquo hactenus parem in omnibus cursum retinente. Nunc ipsum audiamus Bonaventuram: *Ratio*, inquit, *sumenda est* (scilicet probaturo, *ante Benedictionem*, sive Baptismum, *necesse esse totam generationis actionem consummari* (a),) *ex parte sacramentalis remedii. Quia enim sacramentale remedium respicit operationem ecclesiæ, & operatio ecclesiæ non se extendit ad parvulum, nisi extra uterum, ideo nullo tempore nec fide parentum* (*), *nec aliquo sacramento iustificatus est parvulus, antequam natus, quod tum est de lege communi, quia Deus decrevit salvare puerum per sacramentum vel aliquod, quod sit loco sacramenti. Ad hoc autem intelligendum notandum, quod triplex status distingvitur in homine post animæ infusionem. Primus est in utero. Secundus extra uterum in statu infantiæ. Tertius in statu naturæ adultæ. In primo statu manifestus est Deo, in secundo manifectus est nobis, in tertio manifestus est sibi. In primo ergo statu cum soli Deo sit notus, potest per eius voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum ecclesia, nec sit de foro ecclesiæ. In secundo statu, quia natus est Deo & ecclesiæ, remedium potest habere a Deo cooperante adiutorio alieno, non suo. - - - - Prima ergo sanctificatio est per divinam voluntatem, & pertinet ad singulare privilegium. Secunda vero est per legem datam, sicut patet in circumcisione* (**) *patet etiam in baptismate, cum dictum est, Nisi quis renatus fuerit &c. Iob. III. - - - - - Et prima quidem est paucorum, utpote illorum, quos deputat ad aliquod magnum officium, & est præter legem communem. - - - - - Qui vero in utero, non potest per fidem alienam vel per sacramentum adiuvari, quoniam non est de foro ecclesiæ, nec nobis*

(a) Vid. supra §. 34. p. 53.

(*) non fide parentum & Ecclesiæ, sive, ut paulo post loquitur, adiutorio alieno, per fidem alienam, verum fide sua, iustificantur parvuli, Matthæi 18, 6. Marc. 9, 42. Vid. D. Gerh. in LL. Theol., Loco de Baptismo, num. 218. seq., item in Confess. Cathol. a pag. 1116.

(**) cuius legem Portugalli etiam nunc, commemorante *Labrunio*, in Libri, quem inscripsit *Entretiens Historiques & Critiques sur diverses matieres de Literature sacrée*, P. I. pag. 246. ad SS. Baptismum ita applicant, ut infantes non modo non ante, quam plene nati sunt, verum ne ante octa-

vum quidem diem, sacro abluant baptismate.

nobis notus, & hoc decrevit Deus de lege communi, ideo nullus in ventre purificatus est nisi de privilegio speciali. Quoniam igitur baptismus respicit legem communem, & legem datam, ideo non debet quis in utero baptizari, nec potest. Et hæc ratio communis est omnibus sacramentis secundum omne tempus.

Argumentum XI.

§. XLIV. Superstitiosæ baptizationi, de qua iam agitur, laudatus D. KOENIGIVS duas rationes alias contraponit (b) his verbis: *Tertio, Rationem adversus Consortes, subministrat nobis Maldonatus: quia quamdiu Minister ignoret, quid sit, quod baptizet, tamdiu non possit habere intentionem, Ministro in hoc actu necessariam*, T. I. *de Sacramentis*, pag. 66. *etenim, iuxta Pontificios*, intentio *Ministri, quæ reddit Sacramentum validum, dirigenda etiam est ad certam personam, uti patet ex formis Sacramentorum: Baptizo Te, absolvo Te; quæ pronomina designant determinatam personam, ad quam dirigi debeat intentio Ministri, Svarez T. 3. in 3. part. Thomæ, Disp. 13. sect. 3. p. 54. §. dico quarto. Quomodo autem dirigetur, qualis sit? certe de infante, intra claustra matris adhuc hærente, nemini, absque revelatione, constabit, masculusne sit, an fœmella* (*); *quomodo itaque fixam de eo tenebit intentionem? Denique ipsa Honestas, ab huiusmodi facto, aliquem absterrere debet. Dic, quis non negabit obsequia ad minus pudica vocanti? - - - - - - - - . Quæ mulier tam proiectæ erit pudicitiæ, ut talia in se admittere, eaque, quæ Natura, præsertim in Lucinæ laboribus, occultissima esse voluit, in apricum protrahere, & aliorum oculis ausit patefacere? - - - - - - .*

(b) l. c. p. 342, 343.

(*) adde ex §. 45., an monstrum?

Argumentum XII.

Argumentum XIII.

§. XLV. Porro non immerito recusant Evangelici, dictam Romano-Catholicorum consvetudinem imitari: quia ex ea facillime accidere potest, ut monstrum, humana haud præditum anima, sacro tingatur fonte; quæ res sacrosancta Baptismi mysteria horrendum in modum profanaret.

Argumentum XIV.

§. XLVI. Ex Angelo de Clavasio verba hæc Glossæ Iuris Canonici, *qui non est perfecte natus, non potest dici homo*, supra (c) protuli. *Hieronymus Florentinus Lucensis* quoque, in libro *de hominibus dubiis baptizandis* (d), operose, teste D. MAYERO (e), probat, variisque auctoribus confirmat, *nondum natum æstimari hominem haud oportere.* Sine ulla dubitatione subscribo. Namque prominens humanum caput, aut humana manus, aut huma-

(c) §. 34. p. 53.
(d) p. 39.
(e) l. c. p. 995.

humanus digitus, aut humanum brachiolum, aut humanus pes, nondum argumento sunt, materno utero verum contineri hominem. Quæro itaque cum D. MAYERO, *quomodo fœtum, nondum a matre exclusum, baptizari posse contendant, quem neque hominem haberi posse, pervident?* Ratiocinatus ita est D. Buddeus quoque, qui in Institutionibus Theologiæ moralis, *Primo ergo extra controversiam positum sit*, inquit (f), *eos baptizandos, qui effectus baptismi compotes fieri possunt, & quos baptizandos Christus iussit, h. e., homines veros, sive infantes, sive adultos. Quod si probe teneatur, variæ hinc facili negotio solvi quæstiones possunt, patebitque, quid de infantibus nondum perfecte natis, de monstris, de iis, qui per abortum in lucem editi sunt, & quod ad adultos attinet, de amentibus, similibusque, censendum sit.*

(f) P. III. c. 3. §. 69.

§. XLVII. Argumentum aliud, idque grauissimum, ipsis *Thomæ Aquinatis* verbis, ab adversario productis (g) continetur. Memoratur enim in iis, putauisse quosdam, infantem, cuius, ob metum mortis, pars aliqua minus principalis, manicula, &c., baptizata fuerit, iterum, quia dubium sit, an legitima fuerit baptizatio ista, sacro initiandum esse fonte his verbis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* In *quorundam* illorum numero autem habendum esse ipsum *Thomam*, patet ex his eius ad *Lombardum* (h) verbis: *Expectanda est totalis egressio ex utero, nisi periculum mortis timeatur; tunc autem egressa parte principali s. capite, in quo operationes animae magis manifestantur, ut quidam* (i) *dicunt, baptizari oportet; secus autem est de aliis partibus, ut de manu & pede, quamvis non noceat, etiamsi tunc asperguntur illæ partes baptismali aqua, quia divina misericordia non est artanda; si tamen postea plenarie nascatur, non est rebaptizandus secundum quosdam; sed nihil periculi accidit, si ad maiorem cautelam baptizetur sub hac forma, si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Petrus de Alliaco quoque, Episcopus Cameracensis & Cardinalis, qui an. 1426. mortem oppetiit, *Si autem puer*, inquit in Quaestionibus super Libros Sententiarum (k) *apparet extra uterum matris secundum partem principalem, ut caput, tunc potest* (in casu necessitatis) *baptizari nec oporteret ipsum postea rebaptizari. Si vero secundum partem minus principalem, ut manum vel pedem, illa pars est baptisanda, quia in ea est tota anima, ut dicit Scotus, licet quidam dicant oppositum. Si tamen puer postea nascatur vivus, plenarie*

Argumentum XV. eiusque (a) materia.

(g) p. 17. libelli, de quo dixi §. 2.

(h) sc. ad lib. IV. dist. 6. b.

(i) in quorum numero iterum illum ipsum esse, docent eius verba, ab adversario Breslaviensi, l. c. prolata in medium.

(k) qu. 2. in librum IV.

narie potest baptisari sub conditione. Asserit, testante *Gabriele Vazquez* (l), auctor etiam summæ Armillæ (m), *cum puer in utero matris in periculo mortis est, quæcunque pars illius appareat, ut manus, vel pes, aqua aspergendam esse cum forma Baptismi, iterum tamen baptizandum, quia Doctores* (inquit) *communiter non censent, hunc esse vere baptizatum.* In Agendis Coloniensis Ecclesiæ, ad usum archidioecesis Coloniensis, A. C. 1614. vulgatis, inter casus, in quibus Baptisma sub conditione conferri oporteat, numeratur (n) *quinto, si in difficili partu membrum aliquod (excepto capite) extra uterum porrectum salutari fonte ablutum fuerit.* Iungo his verba *Gvilielmi Merceri ab Atho*, S. Theol. Doctoris & Professoris Lavaniensis, scribentis (o), *Quinto, si nulla harum partium* (sc. nec caput, nec pectus, nec humeri,) *attingi potuerit, & periculum grave immineat, baptizanda est, quæcunque pars apparuerit, v. g. manus aut pes, ut docet S. Thom. infra q. 68. art. 11. ad 4. Si tamen contigerit postea infantem perfecte nasci, iterandus erit sub conditione baptismus, ut docet Toletus ex communi sententia, idque propter dubium. Hic enim requiritur ablutio simpliciter dicta, non dicitur autem simpliciter ablui, qui particulam digiti aquæ immergit: e contra tamen in qualibet parte est tota anima, quæ proinde a peccato originali purgari potest ablutione cuiuscunque partis.* Natalis Alexander, de baptizatione ista e *Caroli Borromæi Instructionibus* (*) locutus, subiicit (p): *Sed meminisse iuvat, dubium Baptismum S. Carolo aliisque videri, cum puer vel manu vel pede, vel aliqua alia parte, ex matris alvo prodeunte, aqua perfusus est & baptizatus, ideoque sub conditione baptizandum, cum omnino egressus fuerit, si vixerit.* D. Caietanus Felix Verani hæc hac de re fudit verba (q): *Quinimo si puer manu tantum, vel pede, vel aliqua alia parte extra matris alvo prodeat, & aqua perfusus sit, & baptizatus, non desunt plures, qui censeant, sub conditione esse baptizandum, quando totaliter, & omnino egressus fuerit ex utero, & vixerit, eo, quia nativitas extra uterum constituat hominem perfecte natum, si totus egrediatur ex utero; Christus enim instituit*, & cætera, quæ supra (r) iam in medium protuli. Quin etiam talem ipsius capitis porrecti baptizationem in dubio, utrum bene forma illius se habeat, poni posse, arbitrati sunt *Synodi Coloniensis*, supra (s) commemoratæ, Patres, ut docent eorum verba supra (t) exhibita.

(l) Commentariorum ac Disputationum in Partem III. S. Thomæ Tomo II. pag. m. 398. a.

(m) verbo *Baptismus*, num. 28.

(n) pag. 9.

(o) in Commentario in tertiam Partem S. Thomæ Aquin., a Quæst. 60. p. 54.

(*) de iis, quæ Parochus curet, cum timetur de partu.

(p) l. c. pag. 246. a.

(q) l. c. pag. 356. b.

(r) §. 33. p. 52.

(s) §. 34. pag. 55, 56.

(t) ibid.

§. XLVIII.

§. XLVIII. E dictis sic ratiocinor: *Quæcunque baptizatio Pontificiis ipsis in dubium, an sit legitima, venit, illam Pontificii neque perficere ipsi, neque Evangelicis, a Magistratus Romano-Catholici imperio ac ditione qui sunt, imperare possunt sine peccato.* Primum non possunt, inquam, Pontificii ipsi eius baptizationem generis sine peccato expedire. *Peccatum* enim *est*, docente S. PAVLO (u), *quicquid non prodit e fide*, h. e., *ex persvasione & securitate animi, qua aliquis citra mentis fluctuationem credit & statuit, rem aliquam DEO placere vel displicere, licitam, concessam vel interdictam*, ut optime *B. D. Kœnigius* (x), item Vatablus, Castalio, Clarius, Zegerus, Cornelius a Lapide, Estius, Grotius &c., vocem πίστεως hic explicant. Concordat Philosophia, hunc instillans Canonem, *Contra dubiam conscientiam*, i. e., secundum *Azorium* (*), *quæ in quæstione, de qua agitur, neutri parti assentitur, ne quidquam suscipe*; cuius, cum laudatione, *Cicero*, in egregia de Officiis commentatione, meminit, inquiens, *Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere quod dubites, æquum sit, an iniquum, æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat iniuriæ* (y). Secundo talem Baptismum multo minus imperare possunt, qui ipsi dubitant de illius veritate, aliis, seu item dubitantibus, sive eius pravitatem cognitam habentibus atque perspectam. Nam iussione ista fiunt caussa, ut & alii peccatum committant: quod quum aliorum, s. alienum, quidem sit *formaliter*, illorum vero, qui iubent coguntque, aut ad iubendum ac cogendum stimulant & excitant, *participative:* iram DEI ampliorem suscipiunt, pœnamque EIVS graviorem, quam si soli delinquerent, subibunt, immo, quia tot hominum millia peccare iubent & cogunt, pœnam pendent longe gravissimam.

Argumenti XV. (b) Forma, primumque Propositio maior.

(u) Rom. 14, 23.

(x) l. c. p. 15.

(*) l. 2. Instit. Moral. c. 18.

(y) Opp. Ciceronis a Gothofr. edit. Tom. IV. p. 468. E.

§. XLIX. Propositionis minoris, *Baptizatio, veniens hic in quæstionem, ipsis Pontificiis, an vera sit, in dubium venit*, fidem facit paragraphus quadragesima septima. Sed obstare videntur P. Gabrielis Vazquezii verba, inquientis (z): *Quod asserunt, puerum hoc modo in manu, vel pede baptizatum, iterum sub conditione baptizari debere, non ideo asserunt, quia existiment, eiusmodi Baptismum verum Sacramentum non esse; alioquin, ut infra contra Armillam notabimus, nulla ratione dicere poterant, puerum illum in manu, vel pede cum forma verborum baptizandum esse; cum igitur dicant, eum esse baptizandum cum illa verborum forma,*

Propositio minor, a contradictione Vazquezii vindicata.

(z) l. c.

talem Baptismum verum, & ratum existimare plane debent: quia tamen variæ sunt, & contrariæ de illo opiniones, ideo sub conditione repetendum esse. Etenim, ut dicemus infra disputat. 155., quoties de aliquo Baptismo controversia aliqua est, & contrarie de illo opinantur Doctores, sub conditione ita est repetendus, ut sine controversia Baptismus verus censeatur, & ita tutior pro catechumeno pars eligatur. Quocirca ea, quæ dicit author summæ Armillæ, ut supra retulimus, non satis secum constant, propterea quod si author ille censet, Baptismum pueri in pede, vel in manu non esse verum Sacramentum, consectarie asserere debuit, non esse partem abluendam sub forma verborum Baptismi: nam iuxta prædictam opinionem sacrilegium esset, formam Sacramenti super materiam ineptam proferre, eo quod irrita, & inanis, & falsa videretur. Fortassis existimavit, illum Baptismum esse verum Sacramentum, ideo tamen repetendum, quia plures alii existimant, Sacramentum non esse, & ita tutiorem partem pro catechumeno esse eligendam. Idem eadem de re pau-
(aa) p. m. 406. b. lo post (aa) ita loquitur: *Omnes, qui cum S. Th. dixerunt, puerum, qui intra uterum maternum versaretur in mortis periculo, cum primum partem aliquam foras emitteret, in ea baptizandum foret, ita tamen, ut si pars illa sit digitus, manus, aut pes, & in ea baptizetur, iterum sub conditione baptizari deberet, plane sentiunt, eiusmodi Baptismum repetendum esse, non propter dubium, sed propter contrarias Doctorum opiniones, - - - - - - - . Ratio vero id postulat, nam cum sint contrariæ opiniones, & fortassis opinio eorum, qui dicunt, tale, aut tale Sacramentum ratum, firmum esse, falsa sit, ac proinde baptizatus eo modo, re ipsa remedio careat suæ salutis, propter quam Sacramenta instituta sunt, non videtur alienum ab institutione Baptismi, imo vero ei maxime consentaneum est, sub conditione illum iterare, ut ita priori modo baptizatus nulli periculo re ipsa expositus maneat: nihil enim dignitati illius derogatur ex eo, quod deserviat ad certo obtinendum id, ad quod institutum est.* Verum vero ponamus, auctorem summæ Armillæ falli & fallere, Pontificiosque, baptisma istud conditionale docentes ac iubentes, prius baptisma, maniculæ &c. collatum, verum non esse, vulgo *non censuisse*: vulgo tamen eos de eius veritate *dubitasse*, perperam verbis, *non propter dubium, sed propter contrarias Doctorum opiniones*, inficiatur Vazquez. Nam *primum* illico subiungens, priorem baptismum sub conditione iterandum esse, *cum fortassis opinio eorum*,

rum, qui dicunt, tale, aut tale Sacramentum ratum, firmum esse, falsa sit, aperte palamque contra semet dixisse ipsum, nemo non intelligit. *Secundo* non solum contradicunt quoque ante (bb) citati, Gvil. Mercerus ab Atho, & Natalis Alexander, cum illis, quorum Thomas ad Lombardum serebat mentionem, sed & D. Mercerus rationem reddit illius dubitationis. *Tertio* nonne de conditionali baptismo in genere præcipientes, eum adhibendum esse aiunt, *quando de validitate baptismi dubium nascitur* (*), *wenn die Kirche zweyfelt, ob einer vor getaufft worden sey* (**). *Quarto* si, quod censet Vazquez, auctor summæ Armillæ fasiloquus ita fuisset, ut potius, Pontificios doctores baptizationem, quæ in controversia est, pro vera vulgo habuisse aut habere, asseverandum sit, qui fieri potuisset aut posset, ut iidem fere omnes, prædicto baptizatum modo infantem, postquam totus in vitam venit, iterum Sacramento Trinitatis initiandum esse, statuissent aut statuerent? Vazquez quidem, doceri iuberique hoc *ob contrarias Doctorum opiniones*, respondet. Verum quoniam secundum Vazquez, verba auctoris summæ Armillæ, *Doctores vulgo non censere, hunc* (puerum, cuius tantum pars apparens baptizata sit,) *esse vere baptizatum*, impugnantem, vulgoque ratam potius a doctoribus iudicari lavationem illam, contendentem, qui dictæ lavationis veritatem negant doctores, illos, qui eam adstruunt, numero nec præstant, nec æquiparant: an simile vero videtur, ob quosdam aliter sentientes constitutum fuisse, ut *peccatum gravissimum*, secundum *D. Mercerum* (cc), imo, iudice *Augustino* (dd), *scelus immanissimum*, in Ecclesia Romano-Catholica vigeat, videlicet Baptizationis, de qua constat esse factam, esseque rite factam, iteratio? S. Augustini verba, ab ipso quoque Vazquez (ee) producta, hæc sunt: *Rebaptizare hæreticum hominem, omnino peccatum, rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est*: cuius enunciati rationem quandam, & eam, iudice Vazquezio, acutam suoque dignam ingenio, ostendit Tractatuum in Evangelium S. Ioannis quinto. D. Mercerus, effatum suum probaturus, recte asserit, iterando *repugnari institutioni Christi* (*), *agique contra reverentiam Sacramenti, quasi semel acceptum*

(bb) §. 47.

(*) Vid. Ziegler. ad Lancelott. p. 324, 325.
(**) ex Catechismo Rom. p. 139. a.

(cc) l. c. p. 63.
(dd) epist. 203. ad Maximum.

(ee) l. c. p. m. 402. a.

(*) Ipse iterum Vazquez, *Hæc res*, ait, *ex sola voluntate Dei, & Christi, instituentis Sacramentum, pendet, quod ita illud instituere voluit, ut semel tantum fidelibus ministrari, & prodesse posset.* E nostris B. D. Koenigius, l. c. p. 334. Enunciationem, *Baptismus, rite administratus, non est repetendus*, unica hac ratione fulcit, *quia repetitionis illius neque in institutione Christi, neque in praxi Apostolica, ullum apparet vestigium.*

(ff) pag. 64. b. *ceptum esset insufficiens*, ac paulo post (ff) tradit, IVRE CIVILI *tam rebaptizanti, quam rebaptizato, si criminis capax sit per ætatem, pœnam capitis imponi.* Addi merentur verba Tiletani ex Gerhardo (*). Quare persvadere mihi nequeo, Pontificios Doctores, si sæpius dictam baptizationem veram esse, h. e. cum Divina ordinatione congruere, autumassent, eius, propter aliorum, fidei suæ cæteroqui sociorum, quantumvis forte non paucorum, dissensum, docturos fuisse iterationem. *Nonne vero usu evenire potest*, pergit Vazquezius, *ut, qui salutari, simul ut manicula &c. apparuit, statim ablutus fonte, robustior factus, aut illius parentes, de ablutionis illius veritate, & ideo de ipsa baptizati salute, ob varias, & contrarias de illo opiniones, ambigere incipiant? Taliter itaque baptizatum valde iuvat, plene perfecteque in vitam editum, eum iterum baptizari, quippe qui Baptismus verus habetur ab omnibus.* Enimvero tametsi in rem baptizatorum, ut eorum Baptismus dubitationem non habeat, mirum quantum conducit, imo *nihil magis necessarium esse, quam ut unusquisque de Baptismo suo sit quam certissimus*, cum *B. D. Balduino* (gg) existimandum est: tamen hic etiam nego, si ita esset, ut asseruit *Vazquez*, nimirum Pontificios doctores controversam pro vera vulgo putare baptizationem, verisimile esse, propter Laicorum ex solo quorundam Doctorum dissensu exortam dubitationem, quam istis sola Paparum, *Innocentii IV.* (hh) ac *Pauli V.* (ii), itemque nonnullorum Conciliorum, nec non & tot inclitorum Doctorum, auctoritate tollere poterant, sancitam esse rem tam criminosam. Num nesciebatur, *facienda non esse mala, ut veniant bona* (kk)? Annon Doctores illi, ob istam Laicorum dubitationem iterandum esse statuentes Baptisma, quod tamen legitimum reputabant, stupidissimis ferme, aut ad ratiocinandum plane atque omnino inexercitatis, aut nihil reputantibus secum recta via annumerandi forent mentibus, quum ad dubium illud demendum duntaxat opus sit *doctrina?* Quocirca cum *primo* neutrum probabile sit, neque propter opiniones de baptizatione, quæ in disceptatione versatur, inter se contrarias, neque ob dubitationem, quæ apud Laicos inde emanare possunt, docturos unquam fuisse Pontificios doctores, Baptismum controversum repetendum esse, si, Divinæ consentaneum eum esse Voluntati, firmiter credidissent; *secundo* in sententiam Auctoris summæ Armillæ ne discedam,

(*) l. c. p. 27. a.

(gg) l. c. pag. 1078. b.

(hh) de quo meminere Vazquez l. c. p. m. 398 lin. 33. & ex eo Franciscus Amicus in Cursus Theologici Tomo VII. p. 96. b. qui tamen ibid. a duobus his Papis de baptizationis istius rectitudine dissentit.

(ii) vide supra p. 62.

(kk) Rom. 3, 8.

cedam, graves quoque impediant rationes (ll): unicum hoc superest, ut dicatur, Concilia, Papas, ac Doctores Pontificios, qui repetitionem adspersionis, in disceptationem vocatæ, docuerunt ac iusserunt, aut etiamnum docent ac iubent, de adspersionis istius veritate dubitasse aut dubitare. Oportet enim caussam subfuisse repetitionis istius constitutioni. E dictis iam apparere arbitror, Propositionem meam minorem, *Baptizatio, cadens hic in quæstionem, ipsis Pontificiis, an vera sit, in dubium venit*, falsitatis argui non posse. Medium teneo inter Vazquezium & auctorem summæ Armillæ, quo cum *D. Verani* fecit, quod ex eius supra producta ratione, ducta ab institutione CHRISTI, colligo.

(ll) vide supra, pag. 70. lin. 11, 12, 13. & pag 71. lin. 5, 6, 7, 8, 9.

§. LI. Præmissis extra aleam positis, Conclusio quoque, *Posse sine peccato baptizatione, de qua disceptatur, neque ipsos perfungi Pontificios, neque Evangelicis, a Magistratus Romano-Catholici imperio ac ditione qui sunt, ut ea perfungantur, mandari*, dubia & incerta esse nequit. Quapropter comparari potest adversarius, verba Thomæ Aquinatis, supra (mm) commemorata, obiiciens, iaculanti verutum, quod reiectum grave vulnus iaculatori ipsi impingit, aut sursum versus ita iacienti lapidem, ut hic in ipsiusmet iacientis caput recidat (*). Cæterum quemadmodum Ecclesia nostra ritum Pontificium, qui iam in controversia est, improbat: ita illa Conditionalem etiam Baptismum omnem repudiat. Ipse iam B. D. LVTHERVS, *wir müssen*, inquit (nn), *von dem Sacrament (der Tauff) als von Gottes Wort gewiß seyn. Und sollen sich die Priester hüten, daß sie nicht* cum conditione, si tu non es baptizatus, *tauffen. Dann es ist ein unleidlich Mißbrauch gewest, damit ungewiß wird beide die erste und die ander Tauff: und heißt nicht mehr, denn also: Ist die erste Tauffe recht, so ist diese unrecht, soll diese recht sein, und gelten, welche ists denn? Ich weiß nicht.* In CODICE AVGVSTEO, sive, recens adaucto CORPORE IVRIS SAXONICI, hæc hac de re scripta sunt (oo) verba, *Sonderlich aber sollen die Pfarrer und Kirchen-Diener nicht auf einen Zweifel tauffen, wie etwa im Pabstthumb geschehen, da sie gesagt, bist du getaufft, so täuffe ich dich nicht; bistu aber*

Repetita Conclusione, docetur, vetita esse nostra in Ecclesia conditionalia quoque baptismata.

(mm) p. 67.

(*) contra hortamentum Arabum, Ehhtadsir menal-hhagsare-ladsi bejadeka kaisa tarmihi lejalla jargsea alaika, h. e. *Cave a lapide, quem in manu tua tenes, quomodo eum iacias, ne in te relabatur.*

(nn) T. 8. Ien. Germ. f. 46. a. Vid. etiam Colloqu. mensal. p. m. 184. a. item Supplem. Epistolar. B. Viri, Halæ a. 1703. edit., epist. 104. (oo) P. II. lib. I. c. I. Artic. VI. generali.

aber nicht getaufft, so täuffe ich dich. Sondern, wenn die Tauffe ungewiß, soll der Kirchen-Diener nicht viel fragen, noch sich viel bedencken, sondern das Kind auf den Befehl und nach der Ordnung Christi tauffen.

Argumentum XVI.

§. LII. Ad ultimum antagonistis sequens Theorema, quod est totius nostræ Ecclesiæ, oppono: *Christianorum parentum, seu uterque det* CHRISTO *nomen, sive duntaxat alteruter, infantuli, ante & citra S. Baptismi perceptionem, per casum divinitus immissæ necessitatis, vita, sive materno in utero, seu post nativitatem, defitientes, non damnantur, sed ex immensa* DEI TRIVNIVS *gratia, extra ordinem propter* CHRISTVM *in illis operante, sui peccati remissionem consecuti, æterno salvantur & beantur.* Dogma hoc nostræ Doctores Ecclesiæ toties iam dilucidis firmarunt rationibus, totiesque ab adversariorum telis fortiter excellenterque iam defenderunt, ut, si vel sola gloriandorum illorum IESV CHRISTI militum nomina significarem, næ ea aliquot completura essent paginas. Mihi quoque, hanc in arenam quam primum, ut fidem meam liberem, descensuro, Ducis mei & Protagonistæ, IESV CHRISTI, gratiam ita adiumento fore, ut maximo habenda in pretio veritas denuo devictura sit, magnopere confido. Quid? quod in ipsis Pontificiorum castris, docente B. D. GERHARDO (pp) reperti multi, qui, quantum hanc quidem ad rem, nostris faverunt partibus. Horum in numerum *vir laudatissimus* retulit *ipsum Thomam Aquinatem:* quem quidem ab adversa hic quoque stetisse parte, alii tradunt, sed evolvatur B. D. DORSCHEI liber praenotatus, *Thomas Aquinas, exhibitus Confessor veritatis Evangelicæ* (qq). *Iohannem Fabrum* quoque, Viennensem Episcopum, partium nostrarum hac in re fuisse, prodidere ex *quibusdam eius opusculis*, Lipsiæ an. 1537. impressis, æterna laude celebrandi *Innoxiarum* AVCTORES *Relationum* (rr). Sequitur vero ex Thesi illa *primum*, properato nequaquam ita opus esse, ut infantum, qui nondum suscepti toti in lucem sunt, pars quædam exserta, aut toti in utero adhuc abdite latentes, singularibus rationibus illata aqua (ss), baptizentur: quandoquidem talium baptizationum neque præceptio, neque exemplum in S. PANDECTIS, ut supra (tt) iam commonui, invenitur. *Secundo*, quoniam ex dogmate illo, cum cæteris collato Mediis terminis, liquido constat, Silesios Evangelicos

(pp) in Confess. Cathol. a p. 1110. b.; cui addatur B. D. CALOVIVS, in System. Theol. Tom. IX. a p. 252.

(qq) a p. 220-230.

(rr) Parte III. anni 1730. p. 51.

(ss) Vid. præter B. D. MAYERI Museum, pag. 49. citatum, SVMME REVERENDI DN. PRÆSIDIS Tractatus, de Prædest. & Reprob. Infantum, p. 89, 90.

(tt) §. 42.

cos non ex contumacia & voluntatis obſtinatione, verum certis firmisque adductos cauſis, baptizationem iſtam, cuius genetrix fuit vana laudis ſubtilitatis adfectatio, nutrix ſuperſtitio, recuſare & deprecari: minacibus non erant exterrendi Edictis, multo minus in carcerem includendi. DOMINE, *qui memor es ibi, ubi adflictio, miſericordiæ* (uu), *adflictis ius redde, nam vacant culpa* (xx)!

(uu) Habac. 4, 2.
(xx) Pſ. 26, 1.

§. LIII. Non inops fuit, ut vides, lector benevole, a ſagittis, ad ſuperſtitionem, quam perſequor, configendam idoneis, pharetra veritatis. Antequam autem calcem Βεβαιώσεως Sectioni pono, quæſtiones nonnullas adferam, ex hactenus dictis perſolvendas. *Primum* quæritur, An ab obſtetricibus in ſumma pariendi difficultate infantes, *maiori ex parte* in lucem editi, ſint baptizandi? quam quæſtionem nego liquido. Affirmantibus, aut τὸ ἐπέχειν arripientibus (yy), argumenta producta fere (zz) omnia refragantur. Secunda quæſtio, An infantem, Lutheranis a parentibus genitum, ſed perfecte nondum prognatum, ab obſtetrice tamen, ſive Lutherana per ignorantiam, ſeu Pontificia Magiſtratus heterodoxi iuſſu, baptizatum, Sacroſancto peccatorum Diluvio iterum, ſineque conditione, ſive capitulum, ſive minus principalem partem baptiſmus prior perfuderit, perluere oportet? hæc quæſtio, inquam, affirmanda eſt, ſiquidem prius baptiſma SCRIPTVRAE S. atque Divinæ Ordinationi repugnat, ut ſupra condocui. Neque conditio *quidquam facit vel ad valorem vel ad efficaciam Sacramenti*, ut probe iudicavit *B. D. Zieglerus* (a): immo damnum haud leve apportare ea poteſt; poſſunt enim, optime monente B. D. KOENIGIO (b), inde *ſubinde exſurgere dubitationes tam apud baptizantem, quam baptizatum, ſemelne an bis, rectene an vitioſe ſit baptizatus?* Quæri tertio poteſt, An qui, Romana hactenus profeſſus ſacra, ad Religionem a IESV CHRISTO per *B. D. Lutherum* repurgatam tranſit, apud nos rebaptizandus ſit, ſi eum ante, quam vere natus fuit, baptizatum Pontificii non rebaptizaverint? de quo quæſito idem, eadem inductus cauſſa, reſpondeo, quod de ſecundo reſpondi.

Trium quæſtionum ex hactenus dictis diſſolutio.

(yy) Vid. B. D. Kromayerus, in Theol. Poſitivo-Polem. p. 838.
(zz) exceptis tantum quinto, ſexto & quinto decimo.

(a) l. c. p. 325.
(b) l. c. p. 320.

SECTIO II.
ARGVMENTORVM WOLAVIENSIS CONSISTORII
ΕΚΔΙΚΗΣΙΣ.
§. LIV.

Adversarii contra primum argumentum Obiectiones.

(c) pag. 16, 17.

PRimo maxime Reverendorum Theologorum Wolaviensium argumento adversarius hæc opponit (c): *1.* (sive, *bey dem ersten Beweißthum*) *mangelt es an dem, daß sie, Wiedersager, nicht ein eintziges* Iota *der heiligen Schrifft zu ihrem Grund angezogen, noch solches zuthun vermögen, weder der dißfals artic. 9. ihnen directe entgegen lautenden Augspurgischen Confession sich zum beweißthumb bedienet haben; sondern uns ad Corpus Iuris Eccl. Saxon., Gerhardum, Bechmannum, & ab hoc citatum Lutherum, verleitten, derer aller Auctorität, als Glaubens-würdigen in einer so wichtigen Sach, sie auch nicht mit der mindesten Schrifft-Stelle (obschon sie ihrem Vorgeben nach die alleinige Schrifft für den Grund ihrer Religion halten) unterstützen können: woraus ich also folgere: Alles was unsere Widersager glauben sollen, muß in der Scrifft klar befunden werden; diese ihre bejahung aber wird in der Schrifft nicht, viel weniger klar befunden:* ergo *sollen sie diese nicht glauben. Und ist (vieler anderen zugeschweigen) der alleinige Englische Lehrer, Thomas von Aqvin, genug, angezogene Auctoritäten zu widerlegen: besonders, da die wahre Kirch continua praxi dessen Lehr bestättiget: Subiectum enim baptismi est omnis & solus homo vivus, ab Adamo descendens, nondum baptizatus, potens, in corpore suo tangi aqua baptismali.*

Adversarii prima Maioris limitatio, iusque refutatio.

§. LV. Nimirum limitanda est, secundum Auctorem, maior primi argumenti Propositio *primum* tali modo: Quæcunque in Sacris consvetudo Pontificia ab Evangelicæ Doctoribus Ecclesiæ semper est reiecta, ab Eiusdem Magistratibus semper interdicta, ab omnibus ac singulis illius cœtibus semper intermissa, *insuper vero inprimisque* SCRIPTVRAE DIVINAE *adversa*, ad illam hic aut ille cœtus particularis redire fas non habet. Verum veram esse

se hanc Propositionem absque illa limitatione, modo pro ea adiiciatur, quæ adiecta supra (d) legitur, Mediosque terminos, quos Propositio ista continet, coniunctim usurpatos, cum adiectione ista, ad Syllogismum necessario verum, a Syllogismo, cuius Medius terminus est, SCRIPTVRAE DIVINIORI *contrarium esse*, distinctum, contra baptizationem, de qua contenditur, gignendum esse aptissimos, supra tam dilucide, nisi me fallunt omnia, demonstravi, ut lucem meridianam probabilius forte, quam argumenti primi valorem, rectitudinem ac gravitatem, inficias ire iam possit antagonista. Equidem, quum B. D. LVTHERVS, Eiusque Venerabiles Adiutores, controversam improbare cœptarent consvetudinem, argumentationi illi locus non erat. Postea vero quam DIVINI VIRI de ritu isto sententia ab Evangelicis ubique est adsensu excepta, ubique eius intermissio ab orthodoxis Magistratibus sancita, per duo secula continuata, in toties renovata ac confirmata Pace Religiosa omnibus, quotquot R. G. IMPERIO subiecti sunt, cœtibus Evangelicis concessa: bene plane fecere laudati Theologi, quod argumentum illud adhibuerunt, separatimque a graviori, immediate ex ipsis S. LITERIS depromto, tractarunt. Præter hæc etiamsi Auctoris limitatio, ut vocant, toleraretur: infructuosa tamen esset, quod falsam non reddit Propositionem minorem, Pontificiam enim consvetudinem, ante sæpius memoratam, SCRIPTVRAE S. utique repugnare, supra (e) ad liquidum perduxi. Addantur paulo post (f) dicenda. Quare asserens Auctor, dogma Ecclesiæ nostræ, *infantes prius, quam vere nati sunt, vitali non esse imbuendos lavacro, esse ἄγραφον*, nedum ut in SCRIPTVRA, quam tamen solam Religionis nostræ perhibeamus fundamentum, perspicue fuerit propositum, contra verum nititur. Nam quibus dictis, hunc & illum ritum VERBO DIVINO adversari, ostenditur, iisdem huius & illius ritus intermissio quoque iubetur. Quodsi Auctoris phrasis, *in der Schrifft klar befunden werden*, hunc habeat intellectum, Antithesin illam Nostrorum probari nequire per terminos SCRIPTVRAE S. formales & expressos, aut saltem æquipollentes: respondeo, Theologos nostros, v. g. B. D. DANNHAVERVM (g) ac B. D. SCHERZERVM (h), contra *Peronium*, *Fr. Veronium &c.*, B. D. CALOVIVM (i) contra *Socinistas*, B. Io. WINCKLERVM (k) adversus Anabaptistas, dudum

(d) p. 8. a lin. 10.

(e) §. 31. & 32., it. 43. & 44.

(f) §. 59.

(g) Polemos. S. p. 333. sqq.

(h) Anti-Bellarm. p. 18. sq.

(i) in Syst. Theol. T. I. p. 653. sq.

(k) in Defensione solidæ suæ demonstrationis Pædobaptismi, Hamburgi A. C. 1696. data in publicum, Cap. I. Adde

Rangonem contra Calvinianos, ex Relationib. innox. anni 1729. p. 366.

dudum fecisse planum, tam ad falsi dogmatis negationem, quam veri affirmationem, locum etiam esse debere consequentiis legitimis & necessariis, ope sanæ rationis eductis. Denique fingamus, nec Antithesin prædictam, nec dogmata Ecclesiæ alia, DEI VERBO esse fundata: possetne hoc nobis exprobrare, qui Pontificios ritus sequitur? Eheu quot ἄγραφα, immo quot ἀντίγραφα, docentur, iubentur, perficiuntur, Pontificia in Ecclesia (†)! Num CHRISTIANISMO convenit, *conspicari festucam in oculo alterius, trabem autem in oculo proprio non sentire?* quin, *dicere alteri, sine, extraham tuo ex oculo festucam, cum tamen trabs insit oculo proprio* (*)? Num porro cum ratione hæc congruunt? *Qui alterum incusat probri*, ait Dinarchus, adolescens Plautinus (l), *eum ipsum se intueri oportet.* Concinit *Iuvenalis*, qui hos hac de re confecit versus (m):

(†) Vid. B. D. NIC. HVNNII Apostasia Romanæ Ecclesiæ.

(*) ex Matth. 7, 3, 4.

(l) in Comœdia inscripta Truculentus, v. 167. pag. m. 693.

(m) in Satyra II. a v. 23.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, Homicida Miloni,
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum,
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?

Sed hæc iterum conditionaliter, ut illa supra (n). Nolite regerere, *Nos Pontificii iam ante tempus satis longum fassi & professi ipsi fuimus* (o), *præter Scripturam S., Traditiones quoque ἀγράφους, autoritatem Conciliorum, & Romanum Pontificem, esse Theologiæ & fidei nostræ Principia.* Etenim hisce quidem significaretis, quæ de Principio, unde Theologia & doctrina Christiana in cognitione sua procedere debeant, *fuerit ac etiamnum sit*, neutiquam autem, quæ *esse debuerit ac debeat*, vestra Vestrorumque sententia.

(n) §. 17. a lin. 14.

(o) Vid. Bellarminus, lib. 2, de Concilis, cap. 12. §. 1.

Adversarii secunda Maioris limitatio, eiusque refutatio.

§. LVI. Deinde Auctor dictam Maiorem ita quoque limitandam esse putat: Quæcunque in Sacris consvetudo Pontificia ab Evangelicæ Doctoribus Ecclesiæ semper est reiecta, &c., *præterea in Augustana Confessione iam damnata, ad illam &c.* Existimatum sic in Mandato quoque, quod a REGIA PRAEFECTVRA PRIMARIA, quæ Vratislaviæ constituta est, REGIVM REGIMEN WOLAVIENSE per litteras accepit; nisi quod plura concedit. Huius verba hæc sunt (p): *Wie nun weder in der* A. C., *noch in der so genannten* Apologia, *und Concordien-Buch, als Grund-Sätzen der Lutherischen Lehre, von derley* Præcepto (*denen*

(p) p. 6. supra memorati libelli.

noch

noch nicht vollkommen gebohrnen Kindern, ob sie gleich mit dem Tauff-Wasser berühret werden könten, die Noth-Tauffe nicht zu ertheilen, &c.) ichtwas zu befinden, sondern vielmehr das Widerspiel hervor scheinet, &c. Repetitur in Mandato publico, de quo paragrapho quarta mentionem habui, prior obiectatio his verbis (q): *Allermassen weder aus der A. C. noch auch aus der so genannten Apologia, und Concordien-Buch, als Grund-Sätzen der Lutherischen Lehre, zu entnehmen, daß in selben derley* (sive, *der noch nicht vollkommen gebohrnen Kinder*) *Noth-Tauff denen* Augustanæ Confessioni addictis *verbothen sey.* Ad Auctorem refutandæ Refutationis, pauciora permittentem, quod attinet, eius Sodalitas, PACEM RELIGIOSAM, sanctis firmatam iusiurandis, labefactura, iam olim inimicissime & infestissime contendit, Lutheranis non licere quidquam docere & profiteri, quod *Augustana* exposite & aperte non doceat atque profiteatur *Confessio.* Quocirca inficiatur Auctor, ad ritum, cadentem in controversiam, redire Wolavienses Evangelicos fas non habere, aut minis & vi adigi nequire. Sed Antecedens Enthymematis huius nostræ Theologi Ecclesiæ merito & optimo iure simpliciter nunquam non negarunt. *Nam neque Cæsarea Maiestas a Protestantibus hoc requisivit* (utor verbis B. D. GERHARDI (r),) *ut omnes & singulos fidei articulos, tum temporis cum Romana Ecclesia controversos, in Confessione sua proponerent, neque Protestantes in conscribenda & exhibenda Confessione sua hoc sibi propositum habuerunt; neque unquam professi sunt, a se hoc esse præstitum; sed hoc duntaxat fuit a Cæsare requisitum, & a Protestantibus præstitum, summam doctrinæ, quam in Ecclesiis suarum ditionum propagari curent, brevissimo scripto comprehendere, unde ipsa ἐπιγραφὴ augustæ illius Augustanæ Confessionis sic informata,* Articuli fidei præcipui; *Epilogus vero sic incipit,* Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile iudicari possunt; *& his verbis finitur,* Hos articulos supra scriptos voluimus exhibere, iuxta edictum Cæsar. Maiest. in quibus Confessio nostra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur,

(q) p. 38. prædicti libelli.

(r) ex Confess. Cathol. p. 792.

bitur, parati ſumus, latiorem informationem, Deo volente, iuxta Scripturas, exhibere; *quæ verba, Solis radiis ſcripta, manifeſtiſſime teſtatum reddunt, Proteſtantibus hoc duntaxat animi fuiſſe, ſummam doctrinæ in Eccleſiis ſuarum ditionum publice ſonantis tradere, non autem omnes in univerſum articulos, cum Papali Eccleſia controverſos, ſcrupuloſe recenſere.* Præterea nunquam quoque glorioſiſſimæ memoriæ Cæſar, CAROLVS V. nunquam AVGVSTISSIMORVM CAESARVM ullus alius, nunquam Pontificiæ Religioni addictorum Regum, Electorum, Principum aliquis Religionem noſtram tam exiguis circumſcripſere cancellis. Num pactionis Paſſavienſis aut Pacis Religioſæ temporibus, de iſtiusmodi circumſcriptione ulla facta eſt mentio? An non potius, per Transactiones illas, ut earum ſupra (s) producta verba docent, EVANGELICI liberrimum totius Religionis ſuæ in R. G. IMPERIO exercitium conſecuti ſunt? Nonne vero iis tempeſtatibus Romanæ Eccleſiæ errores atque abuſus longe plures, quam Auguſtana Confeſſio memorat, publice & ſcriptis & ore impugnabant Noſtri? Porro poſcunt Ieſuitæ EVANGELICOS tale quid, quod nullo tempore ab ullis certæ Confeſſionis adſectatoribus popoſcere diſſentientes; tale quid, quod ipſi non obſervant, in Canonibus enim & verbis Tridentinæ Synodi, Religioni noſtræ oppoſitis, non adquieſcunt, denique tale quid, ad quod deſcendere ſine conſcientiæ vulneratione nequeunt SS. SCRIPTVRAE Doctores, quia longe pluribus dogmatibus, ritibus, abuſibus Pontificiis, quam quæ *Confeſſio Auguſtana* continet, SCRIPTVRA reclamitat. Hæc & alia prædictæ poſtulationi Jeſuitarum iam olim Noſtri rectiſſime oppoſuere, applicanda magnam partem etiam Apologiæ & Formulæ Concordiæ (*). Bene B. D. Carpzovius (t), *Nullus Symbolicus liber*, inquit, *adæquatus Catalogus credendorum ac dogmatum fundamentalium fidei eſt, ſed tantum*, pro ratione temporis & occaſionis, *qua ſinguli ſcripti fuerunt, illorum tantum dogmatum ratio fuit habita, quæ* controverſa *erant, & maxime impugnabantur.* Quod additur ab adverſario ac in mandato priori, refragari prædictæ antitheſi noſtræ Auguſtanam Confeſſionem, in Sectione tertia redarguitur & refellitur.

(s) §. 18.

(*) Ad ea, quæ *Laurent. Forerus* regeſſit, & ad eiusdem pro contraria opinione argumenta, reſponſum eſt in *Principali Defenſione Pupillæ* cap. 18. & & 19.

(t) in Iſag. in Libros Symb. p. 4.

Adverſarii tertia Maioris limitatio, refutatione vix digna.

§. LVII. Thomæ Aquinatis auctoritas atque continua Romanæ Eccleſiæ praxis inconvenienter hic memorantur. Ponamus, Reipl. cuiusdam aliquot ſive turmas, ſive legiones, ſive cohortes

hortes, apud aliam rempublicam, vicina cum gente belligerantem, mercede militare, reique publicæ, cuius sunt turmæ, aut legiones, aut cohortes illæ, Principem, Duces, ac totum Senatum bellicum de interdicto aliquo, v. c. de hoc, *milites nostri singuli universique a consvetudine cum scortis, itemque a maledictionibus atque exsecrationibus, se abstinento*, consensisse, quod dein promulgatum omnes omnium ordinum milites hactenus sint reveriti. Ponamus porro, esse vernaculos inter milites, qui conducticios auctoritate ducum suorum, ex fortitudine & victoriis clarorum, sed scortari atque imprecari proh dolor! non inhibentium, nec non & continua commilitonum suorum praxi, convinci posse asseverent, haudquaquam eis fas non esse, ad superiorem cum scortis pergræcandi & diras imprecandi revertere consvetudinem. Eccui dubium esse potest, tentatos rationem istam per risum atque per iocum esse contempturos? esseque istud eo magis eventurum, quo certiores hi sunt, prædictum interdictum Divinis cum legibus quoque plane atque omnino convenire? Lac lacti non est magis simile, quam militum istorum solicitantium hîc similis est Dn. Auctor. Namque, secundum eius de Thoma &c. verba, illos, qui hic argumentum ab auctoritatibus ac interdictis humanis sumi posse arbitrantur, hunc potius in modum argumentari oportet: *Quæcunque in sacris consvetudo Pontificia a Lutherana quidem Ecclesia reiecta, interdicta, semperque intermissa, e diverso autem a Thoma Aquinate, multisque aliis celebribus doctoribus Pontificiis, laudata ac comprobata, quin in summe necessariis posita, superque hæc continua Romanæ Ecclesiæ praxi confirmata est, ad illam redire non fas tantummodo habent, sed debent etiam Silesii Lutherani.* At vero Thomas Aquinas, inquit, tantam in orbe Christiano sibi comparavit auctoritatem, ut, si huius examinari trutina posset ponderitas gravitasque, lanx eius unius lancem auctoritatum Lutheri, Iuris Saxonici, Gerhardi, Bechmanni, indubitanter esset præponderatura; præsertim cum illa magnam continua Romanæ Ecclesiæ praxi habitura esset mantissam. Fuit enim Thomas non nomine modo, sed re etiam, Doctor Angelicus; & ad Romanam Ecclesiam quod attinet, quin ea ecclesiarum visibilium sola sit vera Ecclesia, Ecclesia illa IESV CHRISTI, de qua Matth. XVI, 18. movetur mentio, nemi-

ni, perpetuæ atque æternæ ſaluti inhianti, dubium videri debet. Sed utrumque a vero longiſſime averſum eſſe, ita per Divinam gratiam cognoſco ac perſpicio, ut fidem IESV CHRISTO, in firmam Veritatis EIVS confeſſionem datam, a me violatam fuiſſe, ſi iſtud hic diſſimulaſſem, mihi ſit perſvaſiſſimum. Namque Thomas Aquinas eſt ex numero *Scholaſticorum*, hoc eſt, *Doctorum, qui Papæa Theologiæ, ſive ſenſus de DEO corruptiſſimi, tutores ſe præbuerunt, ac ſtrenuos propugnatores*, ut PRAECL. P. HEVMANNVS de Scholaſticis rectiſſime judicat (*). Iccirco *primum* veritati congruenter aſſeruiſſe cenſendi ſunt, *Ioannes Gochius*, Presbyter Mechlinenſis, qui circa finem ſeculi quinti decimi claruit, *Scripta Thomæ pugnare cum canonica veritate* (u); B. D. LVTHERVS (x), *Thomas von Aquin, ſteckt voller Irrthum;* atque *Hermannus Hamelmannus*, in epiſtola, ad *Vlattenum*, Cancellarium & Præpoſitum Aquenſem, an. 1554. ſcripta (y), *Thomam multas ſuperſtitiones & obſcuritates in Eccleſiam Chriſti introduxiſſe.* B. D. LVTHERI effatum aliquot exemplorum centuriis confirmare ex facili poſſem, ſi mihi ad finem Diſſertationis non eſſet feſtinandum. *Secundo* ex contrario Thomas falſo, ſi eum ſpectes ex ipſa doctrina, ab Auctore appellatur *Doctor Angelicus*, falſo ab aliis *puteus divinarum Scripturarum, Aquila Theologorum, alter Auguſtinus. Denique* tantum abeſt, ut unius illius auctoritas laudatorum trium Theologorum Iurisque Saxonici auctoritates prægrauet, ut potius, reſpectu doctrinæ, unicus LVTHERVS, non Thoma Aquinate ſolum, ſed reliquis quoque Scholaſticis omnibus, *adulteratoribus illis divinæ humanæque ſapientiæ*, alteri lanci impoſitis, examen non poſſit non verſus ſe quam maxime inclinare: quandoquidem ſuam Egregius Ille IESV CHRISTI Servus ex ſolis SS. PANDECTIS hauſit aliisque inſtillavit Theologiam. Quod ad alterum Auctoris enunciatum, *Romanam Eccleſiam eſſe Eccleſiam veram*, attinet, rectiſſime id NOSTRI ſemper ex eo inficiati ſunt, quod *Eccleſia illa neque* DIVINVM VERBVM *ſincere prædicat, neque SS. Sacramenta legitime adminiſtrat.* Quæ a Dn. Auctore de Thoma &c. hic dicuntur, non niſi tum aliquam ab Evangelicis reportare poſſent utilitatem, quando Orthodoxus Magiſtratus ſuæ ſubiectis poteſtati Pontificiis viciſſim imperaret, ut

(*) in Præf. ad *Tribbechovii* librum, *de Doctoribus Scholaſt.* pag. XVII.

(u) Vid. *Flacii* Catal. Teſt. Verit. p. 887.

(x) Tom. V. Ien. Germ. p. 168.

(y) Vid. Relat. innox. anni 1719. p. 36, 37.

ut baptizationis controversæ, aut alius reiiciendi ritus, aliquam ostenderent rationem.

§. LVIII. Gradum promoveo ad ea, quæ Argumento secundo Dn. Auctor contraponit (z). 2. *Vorgeben*, ait, *daß dieses ihr sagen auf die Schrifft-Stellen Tit. 3. v. 5. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, und Iohannis 3. v. 7. Non mireris, quia dixi, oportet vos nasci denuo, gegründet sey, so ist doch die aus berührten Schrifft-Stellen gemachte Folgerung (welcher die wahre Kirch niemahl widersprochen, daß nemlich die H. Tauffe ein Sacrament der Wieder-Geburth sey) bey weiten nicht zulänglich denen nicht vollkommen gebohrnen, und darumb der Todes-Gefahr unterwoffenen, doch mit dem Tauff-Wasser, berühret werden könnenden Kindern die Noth-Tauff, und folglich den Himmel (wie Num. 3. wird erwiesen werden) zu entziehen; dann gleichwie vernünfftig nicht zuwiderlegen, daß ein Kindlein, welches dem gantzen Leib nach ausser Mutter-Leib ist, gebohren, aber nicht vollkommen, sondern secundum quid, einem andern Theil nach gebohren sey, unde ita argumentamur:*

Exhibentur ea, quibus Dn. Auctor Argumento II. obsonat.

(z) p. 17. & 18. supra memorati libelli.

Qui est natus simpliciter, capax est regenerationis & denuo nascendi;
Atqui natus secundum quid, est natus simpliciter;
Ergo natus secundum quid capax est regenerationis, & denuo nascendi.

§. LIX. Negat Dn. Auctor his verbis Minorem Argumenti secundi Propositionem, supra (aa) a me sic prolatam: *Ritus Papisticus, quo infantes, capitulo duntaxat, aut brachiolo, aut monicula, aut pediculo exstantes, baptizantur, sacrosanctum lavacrum ibi applicat, ubi illum cum* CHRISTO *& Apostolo* EIVS, *Paulo, lavacrum regenerationis seu generationis novæ, iteratæ, secundæ, nuncupare nequimus.* Nam tales parvuli, inquit, itidem, ut qui toti ex utero emersere, naturaliter, quin simpliciter, iam nati dicendi sunt. Hoc solummodo inter hos & illos est discrimen, ut hos *imperfecte*, sive *secundum quid*, illos *perfecte* ediderint matres.

Respondetur ad ista.

(aa) pag. 50.

tres. Verum vero, quod parvulis ſecundum quid natis collatus SS. Baptiſmus vocari nequeat lavacrum regenerationis ſeu generationis novæ, iteratæ, ſecundæ, ſupra (bb) planius feci, quam ut illud ab ullo, Terminos, ut uſu licet, accipiendos eſſe, cum prudentibus ſtatuente, in dubium poſſit revocari. An, manicula &c. duntaxat exſtantes parvuli, usquam gentium nati perhibentur, iterum quæro? aut num mutant voces hæ, natum, generatum eſſe, in compoſitis, renatum, regeneratum eſſe, ſuam, quam ubique locorum habent, ſignificationem? ita ut renatus, regeneratus, dici etiam queat infans, cui, ſtatim ut maniculam &c. exſerere cœpit, Eccleſiæ ianua, ut Auguſtinus SS. Baptiſmum vocat, patefacta eſt? *Natus tamen ſecundum quid*, ait Dn. Auctor, *eſt natus ſimpliciter, quique natus eſt ſimpliciter, capax eſt regenerationis.* Fateor me non confeſtim intellexiſſe, quid obſcura illa phraſis, *natum eſſe ſimpliciter*, hic ſibi vellet? Fortaſſis illa, mecum initio cogitabam, idem, quod *vere natum eſſe*, ſignificat. Verum ſi hoc ea ab Auctore acciperetur ſenſu, mecum cogitare pergebam, minor Propoſitio a veritate quam maxime diſtaret, quod, ſecundum eam, pars una integrans pro Toto ipſo integrante habenda eſſet; ſcilicet ut a Poëtis, quos tamen haud par eſt hic imitari, puppis pro navi, mucro pro gladio, uſurpari ſolet. Paulo poſt in mentem hæc incidebant: quid ſi Dn. Auctor hîc ineptiret, eique, Theologos Wolavienſes ludificaturo, in Minore *ſimpliciter natum eſſe* idem eſſet, quod *natum eſſe ita, ut ſimplex, ſive unica ſolummodo pars prodierit?* Sed iam dubium mihi non eſt, quin Dn. Auctor docere voluerit, Propoſitione, *Infans manicula &c. exſtans eſt natus ſecundum quid*, contineri duas, videlicet, *Infans manicula &c. exſtans eſt natus*, atque, *Infans manicula &c. exſtans eſt natus ſecundum quid.* Age, nunc captioſum iſtum Syllogiſmum, Medio eius termino verbis clarioribus, æquipollentibus tamen, expreſſo, ita proferamus: *De quocunque infante dici poteſt, quod ſit natus, phraſi*, natum eſſe, *ſimpliciter, h. e. ſine vocum*, ſecundum quid, *aut*, plene perfecteque, *appoſitione, accepta, ille eſt capax regenerationis; Atqui de infante ſecundum quid nato dici poteſt, quod ſit natus, phraſi*, natum eſſe, *ſimpliciter h. e. absque modo memoratis additamentis, accepta; Ergo infans natus ſecundum quid eſt capax regenerationis.* Patet iam, falſiſſimam eſſe & Maiorem & Minorem. Primum falſitatem Maioris

(bb) p. 49. a lin. 16. p. 50. a lin. 8. p. 52. a lin. 6.

ioris arguunt argumenta, quibus effeci, illum demum infantem, de quo dici poteſt, quod ſit natus, phraſi, natum eſſe, de plena perfectaque nativitate accepta, eſſe capacem regenerationis Sacroſancto Baptiſmate conferendæ. Deinde neganda & perneganda quoque eſt Minor. Optime B. D. SCHAREIVS, *requiritur*, inquit, (cc) *ut ſignificatio vocum ſit uſitata, recepta, & communiter approbata: valeant ergo illi vocum novatores, qui paſſim fingunt novas terminorum acceptiones.* Sophiſticis iſtiusmodi Ratiocinationibus Dn. Auctor damnandos in Cœlo gloriæ, ſalvandos autem in Acheronte, nullo collocare poterit negotio. Argumentemur enim: Qui eſt pius ſimpliciter, capax eſt æternæ beatitatis; Atqui pius ſecundum quid eſt pius ſimpliciter; Ergo pius ſecundum quid eſt capax æternæ beatitatis. Iam porro qui pius eſt ſecundum quid, capax eſt æternæ beatitatis; Atqui Saulus, exterminans omnem Pythonem & omnem divinatorem de Palæſtina, item Rex Achaſus, ſignum a DEO petere, ne DEVM tentet, recuſans, &c. fuere pii ſecundum quid; Ergo Rex Saulus, Rex Achaſus &c. fuere capaces æternæ beatitatis. Contra, Qui eſt peccator ſimpliciter, capax eſt cruciatuum apud inferos; Qui eſt peccator ſecundum quid, eſt peccator ſimpliciter; Ergo qui eſt peccator ſecundum quid, capax eſt cruciatuum apud inferos. Pergamus: Qui eſt peccator ſecundum quid, capax eſt cruciatuum apud inferos; Pientiſſimus quisque eſt peccator ſecundum quid; Ergo pientiſſimus quisque capax eſt cruciatuum apud inferos. *At vero quis accuſabit electos* DEI? DEVS *eſt, qui iuſtificat: quis eſt, qui condemnat?* CHRISTVS *eſt, qui mortuus eſt; magis vero etiam qui reſuſcitatus eſt, qui etiam eſt in dextra* DEI, *qui & intercedit pro nobis* (dd). Memini paulo ante de ludificatione, a qua Dn. Auctorem non prorſus abfuiſſe, etiamſi modo hoc poſtremo ridicularius eius Syllogiſmus exponatur, vix aut omnino non dubitari poteſt. Atqui res tam ſerias ſerio tractare convenit.

(cc) in Manuali Logico, pag. 703. & 704. Ed. Stüb.

(dd) Rom. 8, 33, 34.

§. LX. Denique tertium Wolavienſium Theologorum Argumentum, ductum ab Auctoritate S. Auguſtini & Iſidori, Dn. Auctor conatur repellere his verbis: *Ex quibus* (præmiſerat nonnulla, infra (ee) exhibita iuxta ac redarguta & convicta,) *cum Laymanno facile colligitur, in quem ſenſum D. Auguſti, pariter & Iſidori verba accipienda ſint: quod nimirum ſecundum legem ordinariam,*

Dn. Auctoris contra Argum. III. obiectio.

(ee) §. 63.

riam, modernamque providentiam nemo sanctificetur in utero clausus, sed cunctis ablutio aquæ in proprio corpore facta, sit necessaria. Cum vero utero materno in totum clausus vix ablui possit, prius nascatur, est necesse; saltem secundum quid, si non secundum totum. Quod ipsum fulcitur Authoritate Divi Thomæ, qui Numero tertio citandus, re problematice tractata, in hæc formalia concludit : - - - - - - - - - So viel der Englische Lehrer Thomas von Aquin. Wann dann unsere Widersager eine Authorität D. Thomæ, massen sie solche Numero tertio suchen anzuziehen, für Glaubens-würdig achten und bekennen, müssen sie sich durch ietzt angezogene Auctorität zu bejahen, was sie mit Worten und Wercken verneinen, gezwungen befinden. Sed Scholasticum doctorem, *Thomam*, & *Paulum Laymannum*, Iesuitam recentiorem, *Augustini* & *Isidori* verba male exposuisse, ex iis, quæ p. 49. a lin 16. p. 50. a lin. 50. & p. 52. a lin. 6. dixi, necessario consequitur. Quid? quod Laymannus, peculiarem prorsus obstetricum peritiam, qua, manu in uterum matris inserta, prolis corpus aqua possint perfundere, requirens (ff), ne nativitatem quidem, quæ est secundum quid, opinatus est esse expectandam. Porro citant quidem producuntque Theologi Wolavienses quædam Thomæ verba Numero tertio, quniam illa de veritate contra Pontificios (*) testantur (gg): obstringitne autem hoc ad comprobandum *Thomæ Aquinatis* errores? sive, concessone & probato uno Thomæ effato, concedenda quoque sunt & probanda reliqua? Denique quod ad illa pertinet, ex quibus putat facile colligi, *Augustini* & *Isidori* verba intelligenda esse, ut *Thomas* & *Laymannus* ea intellexere, istorum, ut iam indicavi, infra habetur plena ac solida confutatio.

(ff) Vid. eius Theol. Mor. L. V. Tr. II. p. 303. sq.

(*) apud quos Thomam auctoritate maxime florere, p. 81. & 82. ostensum est.

(gg) Conf. Dissert. hæc p. 54. a lin. 13.

Sectio III.
OBIECTIONVM ADVERSARII
ΔΙΑΛΥΣΙΣ.
§. LXI.

Adversarii contra thesin ipsam obiectio prima, cum eius dissolutione.

THesin Ecclesiæ nostræ, *infantes non prius, quam vere nati sunt, baptizare oportet*, impugnat Dn. Auctor primum hoc ratiocinio: *Cuicunque thesi Augustana Confessio ex diametro adversatur, illa neque perhiberi potest thesis Ecclesiæ Lutheranæ, neque per ipsorum Lutheranorum asseverantium*, A. C., *si res spectes, esse ipsum Verbum* Dei, *hypothesin vera est, neque a Magistratu Pontificio*

tificio tolerari debet; Atqui thesi, infantes non prius, quam vere nati sunt, baptizari oportet, A. C. *ex diametro adversatur; Ergo &c.* Minorem Propositionem, quæ alienissima est a veritate, Augustanæ Confessionis Articulum nonum probare, Dn. Auctor existimat. Huius Articuli verba hæc sunt (hh): *De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quodque per Baptismum offeratur gratia* DEI; *Et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati* DEO, *recipiantur in gratiam* DEI. *Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, & affirmant pueros sine Baptismo salvos fieri.* Verum enimvero nego, quod Confessores docentes, *Baptismum esse ad salutem necessarium, parvulosque sine Baptismo salvos non fieri*, repugnent thesi, *infantes ante, quam vere nati sunt, non esse baptizandos.* Nam utrumque docet SCRIPTVRA DIVINIOR, prius Ioh. III, 5., posterius, ut supra demonstravi, ibid. v. 3. & 7. item Tit. III, 5. Sicut nulla datur pugna inter has Enunciationes, *Circumcisio erat in V. T. necessariaria ad salutem*, &, *infantes ante, quam nati octo dies fuere, non erant circumcidendi*: ita &, illas inter se pugnare, falso asseritur. Rectissime Theologi Wolavienses, cum cæteris Ecclesiæ nostræ Doctoribus, distingvunt inter necessitatem *absolutam* ac *ordinatam*, Confessoresque de hac locutos fuisse, veritati congruenter convenienterque adstruunt: aliter enim B. D. LVTHERVS postea parentes de liberis, ante Baptismum vita excidentibus, consolari, infantum ἀβαπτίστων asseverando salutem, nequaquam potuisset; quod tamen ab illo factum legitur (ii). Cur autem non scripserint, *Baptismus est necessarius ad salutem* necessitate ordinata, *parvuli sine Baptismo* ordinarie *salvi non fiunt*, in caussa haud dubie fuit, primum quod talis in loquendo aut scribendo ἀκρίβεια, talesque distinctiones, non sunt dicentium ac confitentium Doctrinæ Fidei summam, sed docentium Theologiam, non ad Symbola quadrant, verum in Theologica inferendæ sunt systemata (*); secundo quod CONFESSORVM beatæ memoriæ hoc in Articulo mens duntaxat fuit, significare, cum a Zwinglio, statuente, *nullum Sacramentum gratiam conferre*, tum ab Anabaptistis, *Pædobaptismum plane atque omnino improbantibus*, se prorsus dissentire.

§. LXII. Sed, recte necessitatem Baptismi distingvi in *absolutam* & *ordinatam*, inficias ivit Dn. Auctor his verbis (kk): *3. Satis*

(hh) p. m. 12.

(ii) Vid. Bidemb. l. c. a p. 485. & Differt. hæc p. 27.

(*) Equidem, *Wir können nicht fassen*, ait Dn. Auctor p. 36., *wann, laut des* Epilogi, Hi sunt præcipui Articuli &c. *die* A. C. *alle* præcipua *berühret, warumb sie nicht, auch dieser* (Infantes ante, quam vere nati sunt, non esse baptizandos, & ἀβαπτίστους mortuos salvari,) *welcher wahrhafftig* maxime præcipuus *zu seyn scheinet*, in specie *berühret*: verum quum hæ sint quæstiones speciales, tales inserere Confessioni aut Symbolo, nisi Princeps imperet, aut circumstans res alia urgeat, Confessionum ac Symbolorum utique repugnat naturæ.

Vindicatur distinctio necessitatis Baptismi in absol. & ordin.

(kk) pag. 20.

3. Sagen: Iedoch zweifflen wir in unsrer Kircken nicht an der Seeligkeit solcher ohne die Tauff verstorbenen Kinder, zumahlen sie zwvar die A. C. *recht anführen, Baptismus necessarius est ad salutem, unrecht aber mit denen Protestantibus in absolutam und ordinatam unterscheiden: Indem solcher Unterscheid der H. Schrifft Iohannis 3. v. 5. stracks entgegen gehet: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum* DEI. *Allvvo clarissime, absolutissimeque zuvernehmen, daß ohne das Sacrament der H. Tauff (lege Evangelica sufficienter promulgata) unmöglich sey in das Reich GOttes zu kommen.* Gignunt hæc sequentem Syllogismum: *Quodcunque* CHRISTVS *absolutissime requirit, illud necessarium est necessitate absoluta; Atqui SS. Baptismum* CHRISTVS *absolutissime requirit; Ergo SS. Baptismus necessarius est necessitate absoluta.* Procul vero est Propositio minor. Minorem probat, ait Dn. Auctor, CHRISTI *ἀξίωμα, Quicunque non nascitur ex aqua & Spiritu, in Regnum* DEI *introire nequit.* Verum vero supra (ll) iam commonui, Propositiones universales esse vel absolute, vel secundum quid, tales. Dari Propositiones secundum quid universales, permultis probari potest exemplis; qualia sunt, *Omnia amicorum sunt communia, Nullum opus in Sabbato est faciendum* (mm), *Non iures omnino* (nn), *Omnis creatura vocanda est ad* CHRISTVM (oo). Iam vero in talium Propositionum numero ducendam quoque esse enuntiationem illam SALVATORIS, paucis perspicuum faciam. Argumentor: *Cuiuscunque effati Biblici universalitas absoluta Analogiæ Fidei aliisque* SCRIPTVRAE *locis repugnat, illud in Propositionum sec. quid universalium habendum est numero* (pp); *Atqui universalitas absoluta prædicti effati repugnat Analogiæ Fidei aliisque* SCRIPTVRAE *locis; Ergo prædictum effatum in Propositionum sec. quid universalium putandum est numero.* Quantum ad Minorem, prædicti Oraculi universalitas absoluta utique pugnat cum hoc Oraculo, quod etiam CHRISTI est, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur* (qq); pugnat cum exemplis, in SCRIPTVRA memoratis, infantum iuxta, atque adultorum, beate sine Sacramento initiationis demortuorum (rr); pugnat cum *immensa* DEI *gratia*, discupientis, omnes homi-

(ll) pag. 58.

(mm) Exod. 20, 10.

(nn) Matth. 5, 34.

(oo) Marc. 16, 15.

(pp) ita rectissime B. D. Keslerus, in Logica Photin.

(qq) Marc. 16, 16.

(rr) Vid. Exod. 1, 22. c. 2, 3.

homines, ideoque infantes quoque Christianorum, absque propria & parentum culpa citra SS. Baptisma decedentes, æternæ vitæ fieri participes; cum *universali* CHRISTI *merito*, quo perinde infantes, sine lavacro undæ salutaris vitam reddentes, redemti sunt, ut reliqui mortales (ss); cum *pronuntiato* CHRISTI, *Parvulorum est regnum cœlorum* (tt), quod nullum inter baptizatos & non baptizatos constituit discrimen; cum *precum*, quas pro infantum & aliorum, citra propriam culpam, ante Sacrosanctam ablutionem amittentium vitam, salute mittunt Ecclesia & parentes, *efficacia* (uu); cum *promissione* DEI, asseverantis, *futurum se* DEVM *seminis fidelium* (xx); denique cum iam olim recepta in Articulum Fidei de Sacramentis regula, *Non privatio Sacramenti, sed contemtus damnat.* Ipse *Lombardus* (yy) ait, *Illud (Ioh. 3, 5.) intelligendum esse de illis, qui possunt, & contemnunt baptizari*; addantur Tilmannus Segebergensis & Cassander (*), docebat enim eos Contextus, CHRISTVM verba ibi fundere adversus Pharisæos Sacrosanctam lavationem contemnentes ac pro nihilo putantes (zz). Porro cum Vulgatus versum illum quintum Ioanneum ex versu tertio bene vertat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, indeque sequatur CHRISTVM de omnibus infantibus non loqui, sed tantum de iam natis, seu in lucem editis, quî dici potest, effatum, quod iam in controversia est, esse Propositionem absolute universalem? *Sententia*, Infantes Christianorum sine SS. Baptismate ob necessitatem divinitus illatam defunctos, damnari, *facit*, ut B. D. Quenstedtius rectissime docuit (a), DEVM *caussam damnationis eorum, quoniam privatio baptismi, sine parentum culpa & incuria, divinitus immissa, est iuxta adversarios causa damnationis; omnes nostros infantes, sine Baptismo defunctos, ponit in numero reproborum; facit* DEVM *immitem, utpote qui ex se & per se ad impossibilia infantes nostros obligarit.* Quî ergo ἀξίωμα, ante memoratum, perhiberi potest Propositio absolute universalis? Ipse Dn. Auctor *Baptismum sangvinis & Baptismum flaminis* excipit (b). Quomodo igitur asserere potuit, CHRISTVM absolutissime loqui, it. (c) CHRISTI verba esse absolutissima? Discussa est, nisi me fallunt omnia, caligo, diluxit, patet, videmus iam, CHRISTI Enuntiationem, *Quicunque non natus est ex aqua & Spiritu, in Regnum* DEI *introire nequit*, non esse *absolute*, sed *secundum quid*, universalem, ex mente OPTIMI SALVATORIS ita proferendam,

Act. 7, 19. coll. Fl. Iosepho, lib. 2. A. I. cap. 5. it. Ios. 5, 5. 2. Sam. 12, 18, 20, 21, 23. 1. Macc. 1, 52, 63, 64. Matth. 2, 16. Luc. 23, 43.

(ss) 2. Cor. 5, 14, 15. Ebr. 2, 14.

(tt) Matth. 19, 14.

(uu) Ioh. 16, 23. Matth. 18, 19.

(xx) Gen. 17, 4. Act. 2, 39.

(yy) lib. 4. dist. 4. lit. e.

(*) citante B. D. Quenstedtio, in Syst. Theol. P. IV. p. 167. b.

(zz) Luc. 7, 30.

(a) l. c. pag. 167. a.

(b) p. 29. & in Diss. hac §. 63. p. 90. lin. 20, 21.

(c) p. 33. libelli sui.

rendam, *Quicunque vere natorum non renascitur ex aqua & Spiritu, is Regnum* DEI *intrare* ordinarie *nequit*, ideoque Theologos Wolavienses, cum Protestantibus, rectissime dispertire SS. Baptismi necessitatem in *absolutam* ac *ordinatam*.

Obiectio secunda, cum eius confutatione.

§. LXIII. Porro baptizationis controversæ & intermissionem reprehensurus, & rectitudinem probaturus, Dn. Auctor hoc utitur axiomate (d): *Præsentibus remediis ordinariis ad extraordinaria non est recurrendum:* ex quo sequi opinatur, intermissionem baptizationis istius esse valde vituperabilem. Sed nego simpliciter, præsto tum esse ordinarium æternæ salutis remedium, quando infans, materno adhuc inclusus utero, in vitæ versatur periculo: siquidem, sicut supra dilucide docui, *Signaculi Christianorum*, ut *Patres* Baptismum nominarunt, Subiectum, secundum SCRIPTVRAM atque Ordinationem Divinam, est non nisi homo plene perfecteque utero matris exclusus. Ergo secundum SCRIPTVRAM & ordinationem Divinam, inquiet Dn. Auctor, pereundum est infantibus prius, quam toti in vitam introivere, animam efflantibus. Scribit enim, *Est longe extraordinariissimus, vel nullus casus, quod* DEVS, *stante lege Gratiæ, in qua nobis remedium ordinarium, idque facile dedit, nimirum baptismum, extra martyrium, aut in casu necessitatis extra baptismum in voto, cuius parvuli capaces non sunt, remedio extraordinario, sine baptismi Sacramento, salvaverit.* Verum enimvero asserentem, *Secundum* SCRIPTVRAM, *non nisi homo vere natus est Subiectum Baptismi*, minime oportet huic quoque subscribere Propositioni, *Secundum* SCRIPTVRAM, *infantes prius, quam vere nati sunt, vitam commutantes cum morte, nisi Baptismi fluminis vicem expleat martyrium, æterna felicitate non potiri:* quandoquidem homines quidem, at non *Se ipsum*, sive, ut *Gabriel Biel* (e), loquitur, *potentiam suam* DEVS TRINVNVS ordinariis alligavit remediis. Deinde, tantum abest, ut DEVS TEROPTIMVS sine Sacramento initiationis casu longe extraordinariissimo, vel nullo, salvaverit, ut contra ex paulo ante (f) dictis, colligi debeat, innumeros forte & in V. T. citra Circumcisionem, & in N. T. sine Baptismo, salutem æternam modo extraordinario esse consecutos, inque Orbe Christiano complures hodieque mori infantes, qui eam dicto modo consequantur. *Putatum illud remedium extraordinarium*, pergit, *non est assignabile, aut, si quod fingitur, non potest omnino probari.* Hæc & præcedentia

(p) pag. 18.

(e) lib. 4. sentent. dist. 4. q. 2. art. 3.

(f) §. 62.

Dn.

Dn. Auctor opponit his, in Apologetico Wolaviensi allatis verbis: *Necessitas ordinata talis est, quæ nos homines saltem stringit, & obligat, ne baptismum spernamus, & negligamus; minime vero DEVM huic medio alligant, quasi non possit, nec velit, in casu necessitatis, a se immisso, extraordinarie præstare id, quod alias per media a se instituta, ordinarie facit.* Respondeo vero sequentem in modum. Nostræ Theologi Ecclesiæ docent (g), salvari fide, quotquot salventur; hanc DEVM in infantibus, in utero matris aut statim post nativitatem, per casum divinitus immissæ necessitatis, citra Sacrosanctam ablutionem, mortem obeuntibus, ἀμέσως, modo prorsus ineffabili, producere; DEVMque hoc facere & posse & velle. Quantum ad dogma postremum, dilucidat illud *D. Walchius*, in Dissertatione Theologica *de Fide infantum* (h) *in utero* his verbis: *DEVS in infantibus, de quibus disserimus, immediate fidem producit, ubi sunt in utero. Id quod ut rite ac distincte probemus, duo sunt rei huius momenta, de quibus est disputandum. Prius est: num DEVS fidem infantum in utero possit producere? quod nemo in dubium atque incertum vocabit, nisi, qui maxime iniuriosus in ipsum DEVM, infinitam illius potentiam negare præfracte sustineat. Nam & ratio humana & scriptura sacra clarissime testantur, DEVM esse præditum summa potentia, qua omne, quod cum perfectione eius haud pugnat, efficere potest, Matth.* 19, 26. *Luc.* 1, 37. 2. *Cor.* 6, 18. *Posterius quæstionis huius momentum est, num DEVS etiam velit in infantibus, quum sint in utero, fidem excitare? Quod merito affirmamus, atque, ut rei huius rationes pateant, ad signa provocamus, ex quibus huiusmodi divina voluntas, ubi in scripturis divinis haud expresse patefacta est, potest cognosci. Sunt illa partim benignitas ac sapientia DEI; partim exempla, quod iam egerit secundum potentiam absolutam.* Quæ sequitur laudatæ modo voluntatis Divinæ ex signis his demonstratio sat longa, videatur apud ipsum *D. Walchium.* Sed quid multa? Quin DEVS possit, sine remedii ordinarii interventu, fidem in prædictis infantibus accendere, Summa EIVS Potentia, qua omne, quod cum perfectione Eius non pugnat, efficere potest (i), dubitare non permittit; EVM id velle, conficitur ex iis, quæ supra (k) in medium sunt allata; idem convenit quoque cum sapientia EIVS, qua omne id eligit atque amplectitur, quo finem suum optimum obtinere potest. Hactenus dictis adiiciendum est, Theologos nostros docere, ordinaria salutis remedia alia esse ex parte DEI, quæ δοτικὰ, sive *exhibitiva*, appellant, aliud ex parte hominis, quod vocant ληπτικὸν, seu *apprehensivum; hoc*, aiunt, *est Fides, illa sunt Verbum & Sacramenta.* Iam vero, quum laudati Theologi porro, quantum ad remedium ληπτικὸν, prædictos quoque infantes fide salvari, quantum autem ad δοτικὰ, DEVM benignissimum salvificam in parvulis illis, gratiæ nec incipienti nec perficienti ullum ponentibus obicem, ἀμέσως, modo ineffabili, excitare fidem, tradant: liquet, falso Dn. Auctorem asserere, prædictis infantibus extraordinarium salutis remedium a Theologis nostris adsignari, cumque *non-entis nulla sint Prædicata,*

(g) ex Marc. 16, 16. Joh. 3, 15, 16. c. 5, 24. c. 6, 40, 47. c. 11, 25. coll. c. 20, 31. 1. Pet. 1, 5, 9.

(h) §. 10. p. 17, 18.

(i) Vid. Matth. 16, 26. Luc. 1, 37. 2. Cor. 6, 18.

(k) p. 88. & 89.

adiecta etiam ad nihilum recidunt. Quod si illi, nomine putati extraordinarii remedii, veniant absoluta potentia DEI, & propensissima EIVS in prædictos Christianorum infantes voluntas, aut ineffabilis fidem progignendi in infantibus illis modus: primum quæro, solentne agendi facultas ac voluntas vocari alicuius effectus remedia? Secundo num, quod ad absolutam DEI potentiam attinet, illa non est assignabilis? num fingitur? num nequit omnino probari? De laudata etiam DEI misericordissimi voluntate tale quid adstrui nequire, perspicuum est ex iis, quæ dicta sunt paulo ante & præcedente paragrapho. Quantum vero ad ineffabilem fidei incendendæ modum spectat, neque ei convenit exhibitivi nomen remedii, quia fidem a DEO tunc *immediate* incendi, credimus, neque a Nostris certum adsignari fingive modum, Epitheton *ineffabilis* docet unumquemque. Iam ostenso, prolatis Dn. Auctoris verbis partim falsa contineri, partim talia, quæ applicari hic nequeunt, palam est, istis verba hæc, *Ex quibus cum Laymanno facile colligitur, in quem sensum D. Augustini, pariter & Isidori verba accipienda sint*, perperam subiungi (l).

(l) Conf. §. 60.

Ratiunculæ Thomæ & Scoti.

§. LXIV. Supersunt *Thomæ* & *Scoti* rationes. *In capite*, inquiebat supra (*) Thomas, *operationes animæ magis manifestantur*, it. apud Auctorem (m), *in quo* (capite) *fundantur omnes sensus*: & secundum *Scotum* (n), *in qualibet corporis humani parte habetur tota anima rationalis*. Verum vero *primum* ratiunculæ istiusmodi (o) Divinam adversus Ordinationem nihil valent. Deinde commune quondam enunciatum, *Anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte*, recentiores Philosophi meritissimo exploserunt & eiecerunt: sequeretur enim ex eo, unumquodque membrum ratiocinari, intelligere, velle, eligere, itemque, hominem plures habere animas, quin tot animabus, quot numerantur corporis eius membra, eum esse impertitum; quoniam in Spiritum finitum nec omnipræsentia cadit, nec multipræsentia.

(*) p. 67.
(m) p. 19. libelli sui.
(n) supra p. 67.
(o) qualis etiam est in S. Cœna Concomitantia.

SOLI DEO GLORIA.

ERRATA.

Pag. 7. lin. 24. pro duæ *lege* tres. p. 40. lin. 24. post *bleiben* adde *lassen*. p. 57. lin. 13. pro si & l. silet. p. 63. lin. 33. post ut a. exæquato utrinque familiarum numero. p. 72. lin. ult. pro di l. dis. p. 67. lin. 3. post hominem a. Adhoc infans in utero, tanquam pars matris, spectandus est, nondum est persona a matre distincta. p. 83. lin. 19. a. post *gebohren, und zwar vollkommen gebohren sey; also ist auch nicht zuwider sagen, daß jenes, welches einem oder anderem Theil nach ausser Mutter-Leib ist gebohren.*

CLA-

CLARISSIMO

DN. M. RESPONDENTI SVO

S. P. D.

PRAESES.

ITa lates, uitamque tecum, ac tuis cum Musis habitans, tranquillam agis, ut bene haud dubie sic DEO, tibi ac proximo uiuas. Quae Franciscus Petrarcha, de uita solitaria, dedit, quaeque Ioncourtius, de uita nimium patula, in Cogitationibus utilibus, scripsit, quod Molochi scilicet per tympana strepitus haec sit, in quo liberius peccetur, Tu probe omnino nosti, qui a moribus τῶν ἀνεμίων, penes quos uentosa sunt omnia, quibusque in μεγαληγορία ac superbiloquentia pretium statuitur omne, uir minime uerborum, plane abhorres. Montium nosti parturientium foetus, eorumque infelicitatem, qui, uix sumta, nedum concocta satis, reuomere, scripturire continue, ac uirginibus V. T. quae, nisi pepererint prius, mortem sibi ignominiosam putabant, assimilari solent. Tibi uero, sine hedera, perplacet uinum, qui esse mauis, quam uideri, probe conscius, uirtutem latere prorsus non posse, sed, cum proprio, solis ad instar, lumine fulgeat, se prodere, modico licet quandoque palliolo tectam. Ex abdito, cum Tiberio, Philippo Hispaniarum II. aliisque, quorum Antecessores excellentes admodum fuere, uenerationem intendant alii, perdituri eam, si crebrius in lucem prodirent; Nimium

mium se abdant Hieronymitae, solitudinis suae, uti putant, Auctore, Hieronymo, adhuc rigidiores, tametsi uel huius etiam ad Heliodorum scripta, de uita solitaria, epistola, in qua, adolescens & pene puer, calentibus adhuc Rhetorum studiis, uti fatetur ipse, nimium agat: Tu media, CL. V. incedis uia, nec lumen captas in triuiis, nec solus perpetuo, hominum quasi osor, desidere soles, illius Plutarchi & Maturini Simonii memor, latenter ita non uiuendum esse & otiandum impune, qui nobis nati solis non sumus, gratitudinem testari Deo tenemur, iniurii uero simul in alios & patriam esse minime debemus. Suo lumine replere omnia gestent, optima de se sperantes ipsi: Perit, dum fulgurat, fulguri Abbas Certanus adscripsit; In umbris delitescant perpetuo alii; Horologia referunt & Solaria sub uesperam, de quibus constat, quod desinant, nulliusque in umbris usus sint. Tu vero, Candidate Optime, hic medius porro, tutissimusque ibis, de studiosa Iuuentute, quod facis assidue, praeclare porro mereberis, tuoque hoc, quod nunc edis in Theologicis, Specimine, erudito, insigni industria elaborato, nemini graui, &, quam seculum tantopere anhelat, moderationis obseruantissimo, multos, quod toto animo uoueo, fructus, in Ecclesiis inprimis, quarum interest, paries. Vitembergæ d. XXIIX. Aug.

A. R. S. cIↃ IↃ CC XXXIV.

)o(